



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Pars I. De Exercitiis Spiritualibus in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)



P A R S I.

DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS IN GENERE.

**T**RIA præcipuè capita de Exercitijs Spiritualibus in genere tractanda sunt, videlicet Natura & Præstantia eorundem, ac media, quorum auxilio operatus Exercitiorum successus faciliùs obtinetur. De singulis paulò fusiùs in hac parte agetur.

C A P U T I.

DE NATURA EXERCITIORVM  
SPIRITVALIVM.

**Q**UID nomine Exercitiorum Spiritualium intelligatur, ipse eorum Author S. Ignatius ann. 1. sat clarè indicavit, dum dixit, intelligi per ea modum quemlibet examinandi propriam Conscientiam; item meditandi, contemplandi, orandi secundùm mentem & vocem; ac postremò alias quæcunque Spirituales operationes. Sicut enim deambulare, iter facere, & currere exercitia sunt corporalia; ita quoque præparare, & disponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & ijs sublatis ad quærendam & inveniendam voluntatem DEI, circa vitæ suæ institutionem & salutem animæ, Exercitia Spiritualia vocantur. Unde colligitur, dicta Exercitia paulò fusiùs sic describi posse, quòd scilicet sint *Exercitationes piæ in secessu Spirituali ad finem ultimum atque perfectionem certius, faciliùs, & abundantius consequendam assumptæ*; id, quod ipse Christus sua Incarnatione & adventu potissimùm intendit, dum ideo venit in Mundum, ut vitam homines habeant, & abundantius habeant.

Instruã. VIII.

A

beate

beant. Quæ tota descriptio clariùs patebit; si omnia, quæ de his Exercitiis dici possunt, ad quatuor suas causas revertentur, ut in sequentibus paragraphis præstatbitur.

## §. I.

## De Causa finali Exercitiorum Spiritualium.

I. Ut faciliùs, clariùsque finis horù Exercitiorù cognoscatur, supponendù est primò ex S. Thoma 2. 2. q. 81. a. 8. perfectionē in duobus potissimùm capitibus consistere, in puritate scilicet, & immobili unione cum DEO; per hanc enim DEO velut summo bono, & fini ultimo Homo conjungitur, atque ad eò veram felicitatem, qualis in hac vita mortali haberi potest, assequitur. Quia verò Homo cum DEO uniri non potest, nisi ab omnibus inferioribus objectis seu creaturis penitus sit separatus, ideo puritas requiritur, cujus proprium est officium, mentem ab omni inordinato erga res creatas amore abstrahere, atque ad solum DEVM amandum atque fruendum convertere.

II. Secundò supponendum est, duplicem esse charitatem seu unionem cum DEO, *activam* scilicet, & *effectivam*, quarum prior in solis actibus internis complacentiæ, congratulationis, & laudis ob summam ejus bonitatem consistit; posterior verò etiam ad opera DEO placentiæ, gloriæque eius manifestandam atque augendam impellit, ad quam proinde S. Joannes 1. Jo. 3. hortatus est dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.* De eadem etiam locutus est S. Ignatius, dum in Contemplatione de amore dixit, amorem magis in operibus, quàm verbis consistere.

III. Atque hinc videlicet totus virtutum tam Theologicarum, quàm Moralium apparatus originem suam trahit; cum enim nihil amari possit, nisi præcognitum, nec voluntas ad prosecutionem alicujus objecti media, virisque applicet, nisi possibilem illius consecutionem esse sciat, hinc Fidei & Spei supernaturalis necessitas oritur, quarum illa DEVM saltem in ænigmate cum suis perfectionibus ostendit; ista verò possessionem illius per media convenientia ob-

tineri

tineri posse demonstrat. Quia autem, ut rectè D. Augustinus in epist. ad Maced. advertit, *ad Deum, qui ubique presens est, non pedibus licet ire, sed moribus; mores autem nostri non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quod diligit, dijudicari solent*; hinc ante omnia prima virtus moralis, nempe Prudentia est necessaria, quæ media ad finem propositum convenientia eligere doceat. Post hanc verò Justitia requiritur, quæ ad Jus suum cuique tribuendum inclinet. A quo exercitio, cum duo potissimum impedimenta, teste S. Augustino in Pl. 38. impediant, nempe malè ardens cupiditas, & malè jacens timiditas (quam ob causam jam olim antiqui Philosophi totam suam Philosophiam in geminis vocibus *abstine, & sustine* constituerunt) hinc reliquarum duarum moralium virtutum, videlicet *Temperantia & Fortitudinis* necessitas oritur, quarum prior cupiditatem inordinatam refrenat; posterior verò nimiam inter pericula & difficultates timiditatem mitigat. Atque ex his modò non difficile erit, finem & scopum, imò totum Sistema Exercitiorum Spirituum per sequentia Corollaria cognoscere. Itaque

IV. Colligitur primò. Rectè ab Ascetis & Patribus Spiritibus vitam hominis peregrinationi seu itineri comparari, ut enim is, qui iter facit, tria sibi proposita habere, & præstare debet, nempe Terminum, seu locum, à quo recedendum est: Terminum seu viam, per quam incedendum est: & Terminum denique seu locum, ad quem accedendum est, ac in eo quiescendum; ita simili quoque modo eadem tria is, qui hanc vitam ingressus est, atque ad ultimum suum finem tendit, sibi proponere debet. Et Terminus quidem, ad quem assequendum tendere oportet, non alius est, quam ipsa Charitas, seu unio cum DEO, quæ est perfectio hominis, & ultimus finis, in quo finaliter quiescendum est. Quia verò ab hoc Termine per solum inordinatum amorem sui ipsius & aliarum creaturarum, atque adeò per peccatum receditur, ideo Terminus, à quo discedendum est, rectè prædictus amor inordinatus & Peccatum statuitur. Cum verò ad peccatum vitandum oppositarum virtutum exercitium requiratur, ideo rectè quoque pro via, per quam ad DEVM accedendum est, virtutes, quas DEVS à quovis homine secundum Statum suum requirit, assignantur; quam totam doctrinam ipse Spiritus

tus Sanctus per Prophetam Davidem Psal. 33. indicasse videtur, dum dixit: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem* (seu perfectionem & finem ultimum, in cujus adeptione pax vera animi consistit) *& persequere eam.*

V. Colligitur secundò. Rectè ab iisdem Ascetis in studio perfectionis tres vias triplici, de quo modò diximus, Termino correspondentes assignari; quarum primam *Purgativam* vocant, eò quòd proprium illius officium sit, animam purgare, id est, ab omni amore inordinato rei terrenæ atque peccato abstrahere, in quo vera animæ puritas consistit. Alteram *illuminativam* vocant, eò quòd anima à tenebris peccati liberata fiat habilis & apta ad divinas illustrationes, & illapsum interni luminis recipiendum (juxta illud Christi: *Beati mundo corde, quoniam DEVM videbunt.* Matth. 5. imò in ipsa luce & die virtutum & operum bonorum ambulare incipiat, sicque adimpleat consilium Apostoli dicentis Rom. 13. *Nox precessit, dies autem appropinquavit. Abijcimus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus.* Alij non incongruè hanc viam ideo illuminativam dici existimant, quòd homo in hac via constitutus pro fine exercitium virtutum sibi propositum habeat, atque ut hunc finem faciliùs, perfectiùsque assequatur, Christum, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum, & absolutissima omnis virtutis ac sanctitatis Idea, in tali exercitio imitandum assumat, atque ad eò ab illo illuminetur ad dictas virtutes perfectissimo modo exercendas. Tertiam denique viam *Vnitivam* appellant, eò quòd per illam homo ipsam Charitatis divinæ perfectionem, atque ad eò etiam unionem cum DEO assequatur, sicque Terminum sui itineris seu tendentiæ ad ultimum finem adeptus, suaviter in eodem requiescat.

VI. Colligitur tertio. Porissimum Exercitiorum scopum esse, ut hominem salutis suæ studiosum per triplicem hanc viam ad ultimum suum finem deducant. Etsi enim S. Ignatius totam Exercitiorum materiam in quatuor hebdomadas dividerit, rectè tamen eadem, ut fusiùs Directorium Exercitiorum ostendit, triplici huic viæ respondere dicuntur, cum prima hebdomas tota in peccatis extirpandis occu-

petur,

petur, atque adeò via Purgativæ respondeat; Secunda verò & tertia totæ in virtutibus Christi imitandis laborent, quarum aliqua, quia in *agendo* præcipuè consistunt (ut virtutes ad Prudentiam & Justitiam pertinentes) aliæ in homine ab illicitis objectis abstrahendo, atque adeò in *abstinendo* occupentur; aliæ denique in eodem homine adversus varias difficultates in virtutum exercitio occurrentes roborando, atque adeò in *sustinendo* versentur, & hæc utpote longè alijs difficiliore majorem quoque perfectionem, qualem Christus in sua passione maximè ostendit, involvant, meritò ipsi S. Ignatius peculiarem hebdomadam assignavit, ad eòque viam hanc illuminativam, sicut olim S. Thomas secundam Theologiæ partem, in duas alias partes partitus est. Quarta denique, quæ in homine per divinum amorem inflammando potissimùm desudat, viæ unitivæ respondet. Circa quas tamen hebdomadas & vias rectè notat citatum Directorium, non ita, quæ de ijs dicta sunt, accipienda esse, ut intelligatur aliquis, peractâ primâ hebdomadâ, perfectè & plenè purgatus; peractâ autem secundâ & tertiâ hebdomadâ perfectè illuminatus; & quartâ denique absolutâ, pervenisse ad plenam unionem cum DEO (hæc enim omnia indigent diuturno tempore, studio, & exercitatione in extirpandis vitijs, in passionibus edomandis, & virtutibus acquirendis) sed quòd quatuor hæc hebdomadæ respondeant his tribus vijs primò propter materias, quæ in earum qualibet tractantur, pertinentes ad has vias; & quia in eis jaciuntur initia singularum, quæ deinde oportet profèqui cum tempore, & cum studio, si velimus ad aliquam earum perfectionem pervenire. Deinde etiam, quia discitur modus & methodus, quam deinceps servare debemus in unaquaque harum via profèquenda.

VII. Colligitur quartò. Rectè ab aliquibus pro Scopis horum Exercitiorum Spiritualium *Reformationem hominis interioris* assignari; quæ quidem nihil aliud est, quàm mörum, vitæque in meliorem formam commutatio, & triplex ab Antonio Gaudier p. 6. Introd. c. 25. statuitur. Prima est omnino necessaria ad salutem, cum quis in Statu suo damnabiliter vivit. Secunda est extremè contraria, nimirum Perfectorum, qui nec gravia habent peccata, nec imperfe-

ctiones magnas, quas tollant in sua reformatione, unde præcipuè intendunt, majorem duntaxat perfectionem addere, magisque ac magis Christo se conformare. Tertia reformatio est media inter priores duas, quando scilicet vita nec omnino damnabilis, nec omnino perfecta est, sed multis ac periculosis imperfectiõibus est plena, adeò ut periculose vivatur, & interdum peccata, de quibus dubium est, an non sint mortalia, committantur; quæ proinde frequentior esse solet, atque adeò crebrius etiam per Exercitia intenditur.

## §. II.

### De Causa Materiali, seu Subjecto Exercitiorum.

I. Per hanc is, qui Exercitia facturus est, intelligitur, de quo quidem id potissimum hoc loco considerandum est, quomodo dispositus esse debeat, ut optatum ex talibus Exercitijs fructum referat, quæ dispositio juxta ea, quæ in Directorio cap. 2. dicuntur, ad tria ferè capita revocari potest, nempe ut aliqua erga DEVM; alia erga eum, qui tradit Exercitia; alia denique erga seipsum observet.

II. Primò itaque erga DEVM sequentia tria observare debet juxta citatum Directorium. 1. Ut habeat magnam spem in bonitate & liberalitate DEI, qui, cum etiam errantes requirat, & fugientes sequatur, multò magis eos, qui ad se ultro bono animo accedunt, recipiet & complectetur. 2. Ut libenter & avidè Exercitia hæc aggrediatur, non tam ut spiritali dulcedine fruatur, quàm ut DEI voluntatem de se intelligat, suumque affectum à terrenis omnibus avellat, & eum in suo Creatore collocet. 3. Ut sit bene resignatus in beneplacito DEI in ijs, in quibus adhuc liber est, itaq; animo paratus sit, ut, quidquid cognoverit à DEO faciendum esse, omnino exequi decernat; minimè autem DEO ponere modum velit aut terminum, ultra quem illuminari aut juvari non petat; hoc enim modo, præterquam quòd valdè indecens sit, ut Creatura cum suo Creatore sic agat, valde sibi ipsi nocet, tum quia privat se majoribus donis; tum quia meretur tali restrictione, ut ne ea etiam, quæ vellet, accipiat. Quare debet potiùs animi finem dilatare, ut, quàm maximè possit

possit sese cum DEO conjungere, & quàm maximè ab eo dicitari, & thesauris istis cælestibus repleti desideret; à qua quidem dispositione si non totum, certè præcipuum Exercitiorum fructum dependere rectè affirmant Ascetæ de hac materia scribentes.

III. Secundò erga eum, qui in tradendis Exercitijs Directoris munere functurus est, sequentia observare debet. 1. Ut eum tanquam Instructorem, & DEI instrumentum ad hoc missum, ut ipsum dirigat, & ducat per eam viam, quæ ad vitam ducit, intueatur, atque adeò cum omni reverentia, alacritate, & confidentia excepiat, quæ ei proponet. 2. Ut sincerè totum cor suum eidem patefaciat, & candidè referat, quo modo meditationes successerint, quæque in eis vel extra eas reliquo tempore lumina, vel bona desideria, aut consolationes, desolationesve senserit.

IV. Tertiò denique erga seipsum pariter tria observare debet. 1. Ut magna cum alacritate hæc Exercitia aggrediatur; ad quod conducet, si intelligat, quanta sit res, quam aggreditur, nempe quæ non solum ad animam pertineat, sed ita pertineat, ut, si modò diligenter præstet ea, quæ debet, jacturus sit fundamenta spiritualis profectus, quæ deinceps per totam vitam usui futura sint. Ad eundem finem non parùm conducet, si consideretur, quid Viri doctrinâ & virtute, ac non solum rerum humanarum experienciâ, sed etiam spiritualium peritiâ insignes de his Exercitijs senserint, ut qui ea re ipsâ experti ita probârunt, ut illorum usu majorem, quàm sperare ausi essent, suarum animarum fructum & solatium se consecutos esse, tum verbis, tum scriptis prædicârint, ut in secundo capite pluribus demonstrabitur. 2. Ut statuat secum viriliter agere, & omnia impedimenta diviniæ gratiæ fortiter rejicere, omnesque animi vires intendere, ut huic gratiæ coopereretur, & se ad eam recipiendam, quàm optimè poterit, disponat. Atque adeò in hunc finem ab omnibus negotiis domesticis prius se expediat, vel certè aliis interea illa committat, ac toto tempore omne sibi Amicorum ac Familiarium commercium interdicit; hæc enim mentem summoperè distrahunt, & conceptum fervorem restringunt. 3. Ut ad plenam quoad omnia indifferentiam se reducens, magno, liberalique animo, totum studium &



arbitrium suo offerat Creatori, ut de se suisque omnibus id statuat, in quo ipsi potissimum servire possit juxta ejusdem beneplacitum, id quod summopere ad optatum ex his exercitiis fructum referendum conducere, in ipso mox annotationum suarum principio S. Ignatius testatur.

## §. III.

## De Causa Formali Exercitiorum.

Quæ sit causa formalis Exercitiorum, sat clarè Paulus III. in Bulla, quâ anno 1548. eadem Exercitia approbavit, indicasse videtur, dum dixit, ea nihil aliud esse, quàm documenta quædam ex S. Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita, & in ordinem ad piè movendos Fidelium animos aptissimum à S. Ignatio redacta; ex his enim verbis, & ex ipsa definitione Exercitiorum, quæ supra ex ipsis S. Ignatij verbis relata est, facilè colligitur, duplicem esse causam formalem eorundem Exercitiorum, *partialem* scilicet, quæ in singulis actionibus spiritualibus, ex quibus velut partibus juxta definitionem S. Ignatij, Exercitia constituuntur, & octo plerumque numerantur, videlicet Meditatio, Consideratio, Oratio vocalis, Lectio, Confessio generalis, Collatio cum Patre Spirituali, & Electio Status, reperitur; & *universalem*, quæ omnibus memoratis partibus est communis, ut nempe certo quodam Ordine velut vinculo inter se connectantur, certaque intentione ad unum Scopum ac finem, videlicet reformationem hominis interiorem destinentur. Unde paucis verbis hæc causa formalis sic exprimi potest: Est legitima & ordinata peractio actionum Spiritualium ad interiorem hominis reformationem in secessu Spirituali suscipi solitarum. Quæ descriptio ut meliùs intelligatur, simulque intelligatur, quâ ratione singulæ supra enumeratæ actiones peragi debeant, de utraque causa formali indicata paulò fusiùs & clariùs discurrendum est.

## MEMBRUM I.

## De Ordine in Exercitiis observando.

I. Triplex plerumque Ordo statuitur, per quem actiones in Exercitiis Spiritualibus suscipi solitæ connectuntur. Pri-  
mus

mus in *Temporis* distributione consistit, ut scilicet totus dies in varias occupationes ita distribuatur, ut certa cuilibet functioni Spirituali hora respondeat; sic enim & tedium levatur, & animus functionibus præscriptis semper occupatus, à multis distractionibus, quæ otiosæ menti facile alioqui obrepere solent, liberatur. Quia tamen non omnes eadem dormiendi, surgendi, meditando, aliâque similia officia peragendi tempora æqualiter observare queunt, ideo nec unus quidem modus hujus distributionis assignari potest, sed is consideratâ ejus, qui Exercitia facit, naturâ & corporis constitutione, aliisque circumstantiis, vel à Directore, vel cum hujus consilio ab ipso Exercitante faciendus, atque, ut facilius in memoria retineatur, scripto notandus est; cujus exemplar ad initium tertij capitis hujus Partis afferetur.

II. Secundus Ordo Materialium, de quibus Meditationes & Considerationes instituendæ sunt, ordinatam distributionem complectitur; qui quidem vix alius esse debet, quàm is, quem S. Ignatius in libello Exercitiorum, servatâ quatuor hebdomadarum distributione, assignavit. Ubi tamen bene observandum est, quod idem Sanctus in annotatione decima notavit, quòd, licet pro integris Exercitiis quatuor hebdomadæ assignentur, id tamen non ita accipiendum sit, ut necessariò unaquæque hebdomas septem vel octo dies contineat, sed juxta subjectæ materiæ rationem, ejusque, qui exercetur, dispositionem aut occupationem pro libitâ quælibet hebdomas vel succidi, vel extendi possit. Imò nec ipsæ etiam, quas S. Ignatius pro singulis diebus præscripsit, materiæ tam rigido ordine assumendæ sunt, quin interdum aliæ, licet in libello Exercitiorum minimè contineantur, interferi possint, ut ipse iterum Libelli Author post quintum diem primæ Exercitium monet.

III. Tertius tandem Ordo circa ipsarum, quæ in Exercitiis assumendæ sunt, functionum distributionem versatur, ut scilicet sciat, qui exercetur, quot horas Meditationi aut lectioni spirituali impendere: quando generalem Confessionem instituere, aut Electionem Status facere: quando cum Instructore aut aliis colloqui: de qua materia Examen particulare instituere: quæ opera pœnitentiæ assumere debeat, & similia.

## MEMBRUM II.

## De Meditatione.

Ut tam hæc, quam secuturae actiones spirituales cum debito fructu & solatio obeantur, ante omnia bene notandum est, triplicem plerumque causam esse, ob quam ex eiusmodi actionibus optatus fructus non referatur, nempe vel quia Natura earum, & Scopus, ad quem tendere debent, sufficienter non cognoscitur; vel quia conveniens Modus ejusdem practicè & utiliter peragendi ignoratur; vel quia digna de illarum præstantia & utilitate æstimatio non habetur, unde fit, ut exigua in iisdem perficiendis diligentia adhibeatur, atque adeò DEVS etiam auxilium & gratiam ad eas ritè obtinendas necessariam parcius largiatur, cum, ut sapienter Cæsarius hom. 3. ad Monachos advertit; *Tantum DEVS addat ad Adjutorium, quantum nos addiderimus ad studium.* Quare ut hoc triplex impedimentum efficaciter removeatur, in singulis hisce actionibus hæc tria breviter ostendam, nempe quæ sit Natura & Scopus illius, quæ praxis, & quæ æstimatio de illa concipienda sit.

## Natura &amp; Scopus.

I. Meditationis nomine hoc loco non intelligitur quæcunque investigatio naturalis alicujus aut etiam supernaturalis veritatis (hæc enim solius luminis naturalis aut Theologiæ studio haberi potest) sed actio religiosa, per quam ex discussione alicujus historiæ vel veritatis supernaturalis voluntas ad pios affectus, vitæque reformandæ serium propositum excitatur, gratiaque ad illud exequendum à DEO postulatur. Quam proinde Meditationem S. Ignatius in libello Exercitiorum *Exercitium trium Potentiarum* vocat, eò quòd ordinariè per tres Potentias peragatur, scilicet per memoriam, intellectum, & voluntatem, ita tamen, ut, quemadmodum bene advertunt P. Zacharias Trinckelius c. 7. proleg. & alij, hæc potentia hoc loco non secundum rigorem & proprietatem Philosophicam sumantur, sed memoriæ nomine tam apprehensio, quam judicium de veritate supernaturali intelligatur, atque ut sic ad eam pertineat, non tantum repræ-

repræsentare intellectui mysterium aut veritatem, sed etiam Personas, Cogitationes, Verba, desideria, facta expendere. Per Intellectum verò sola ratiocinatio sive discursus, per quæ ex veritate aliqua proposita conclusiones practicæ ad morum & virtutis perfectionem accommodatæ deducantur, significetur; per voluntatem denique variæ voluntatis operationes atque affectus pij, qui primarius ferè Meditationis Scopus sunt, indicentur. Etsi verò S. Ignatius in libello Exercitiorum primam duntaxat primæ diei Meditationem Exercitium trium Potentiarum vocaverit, hoc tamen non ideo fecit, ut indicaret in alijs Meditationibus non opus fore triplicis hujus potentie concursu, sed ut in hoc quasi aditu & principio viam monstraret, quæ in reliquis deinceps Meditationibus tenenda foret, ut rectè Directorium advertit.

II. Ex quo toto discursu facilè nunc colligitur primò, Quadruplicem Meditationi Scopum præfigi debere, quorum primus est *Cultus DEI & Sanctorum*, ad quorum honorem ejusmodi Meditatio instituitur, ut per illam gloria & virtutes ac perfectiones eorundem clariùs cognoscantur, & ad perfectam imitationem animus incitetur. Secundus est ipsius *Intellectus illustratio*, ut, ubi ille solidam & genuinam cælestium rerum pariter, ac terrestrium cognitionem, æstimationemque hauserit, tantò faciliùs voluntatem ad cælestes quidem appetendas, & quærendas, terrestres verò vilipendendas, & fugiendas excitet. Tertius est *Excitatio & Motus voluntatis* ad ea, quæ Intellectus facienda proposuerit, executioni mandanda, in quo Scopu præcipuus Meditationis fructus consistit, cujus defectu frequenter locum habet nota illa lamentatio: *Video meliora, probòque, deteriora sequor.* Quartus est *Petitio gratiæ & auxiliij divini cum congruis affectibus*; cum enim DEVS ex una parte dixerit Jo. 15. *Sine me nihil potestis facere*; ex altera verò parte etiam Joan. 16. dixerit: *Petite, & accipietis*: meritò postquam is, qui meditatur, voluntatem suam ad vitium aliquod fugiendum, aut virtutem aliquam amplectendam, commotam senserit, ad auxilium à DEO petendum per orationem se accingit; ob quam causam præcipuè Meditatio, oratio mentalis vocari solet, ut indicaretur scilicet, utramque, id est, Meditationem & Orationem simul jungendam esse, eò quòd, ut S. Bernardus

du-

duſ ſer. 1. de S. Andrea loquitur, *Meditatio docet, quid deſit; Oratio, quod deſt, obtinet. Illa viam oſtendit, iſta deducit. Meditatione agnoſcimus imminentiā nobis pericula, Oratione evadimus.*

III. Colligitur ſecundò. Meditationem ratione ſecundi & tertij Scopj priori numero indicatorum rectè Exhortationem ſive concionem privatam hominis ad ſeipſum vocari; ut intelligatur, quemadmodum non illæ Conciones fructuoſæ cenſentur, in quibus intellectus curioſis diſcurſibus, & ingenioſis conceptibus paſcitur & recreatur, ſed in quibus voluntas ad vitij fugam & virtutis amorem movetur, atque adeò Auditores, ut dici ſolet, demiſſis in terram oculis, capitibusque compuncti ex templo diſcedunt; ita id ipſum de fructu Meditationis ſentiendum eſſe, ut ſcilicet in hac quoque doctrina & Motus præcipuè intendatur; delectatio verò non alia, quàm ea, quæ doctrinam & motum ſequitur, quærat.

#### Æſtimatio.

Hæc non difficulter concipietur, ſi firmiter ſibi Exercitans perſuadeat, Meditationem eſſe ſcholam, in qua cœleſtis Sapientia addiſcitur, docens omnia ſuis momenti æſtimare, & terrena quidem cum S. Paulo ut ſtercora arbitrari, & contemnere; DEVM verò & cœleſtia ſuper omnia æſtimare & amare; nam, ut Thomas Kemp. l. 1. c. 1. ait, iſta eſt ſumma ſapientia, per contemptum Mundi tendere ad regna cœleſtia. Unde noſter P. Franciſcus Suarez tanti æſtimabat hoc Exercitium, ut dicere auſus ſit, malle ſe omnem ſuam ſcientiam perdere, quàm unicam Meditationis horam negligere. Sanctus Pater Ignatius verò, quanti æſtimârit Meditationem, tunc maximè prodidit, quando P. Jacobo Layni ſuadenti, ut longius tempus in Societate pro Meditatione præſcriberet, reſpondit, nolle ſe id facere, eò quòd unicus etiam quadrans in Meditatione fructuoſè obita conſumptus ſufficiens ſit ad vitam perfectè inſtituendam.

#### Praxis.

I. Hæc in eo præcipuè conſiſtit, ut materia & forma Meditationis ſint optima: Et materia quidem optima erit, ſi ſolida & practica doctrina, id eſt, ad vitiorum fugam, vel

virtu-

virtutis amorem & studium ordinata assumatur, & in sua puncta bene dividatur. Etsi autem aliqui hanc materiam ad duo capita revocari posse existiment, ad rem gestam scilicet, vel piam historiam, & ad veritatem aliquam à DEO revelatam, aut Sacræ Scripturæ Verbis comprehensam; rectius tamen & clarius alij ad septem capita reducunt, nempe 1. ad Historiam. 2. Parabolam. 3. Sententiam. 4. Regulam vel Præceptum. 5. Virtutem. 6. Vitium. 7. Actionem aliquam indifferentem, v. g. si quis meditari vellet, quomodo actiones suas ordinarias & quotidianas ritè & fructuosè obire vellet; aut de iisdem recollectionem aliquam & Examen per ipsam Meditationem institueret. Ex his quippe septem Fontibus omnis materia, quæ in Meditatione discutienda assumitur, oriri plerumque solet, ut consideranti patebit.

I I. Forma Meditationis in quatuor ferè capitibus consistit, nempe in Præparatione, Discussione, Colloquijs, Examine; ut enim, qui alteri concionari cupit, prius & se, & Auditores præparat; tum actu de proposita materia discurret, & concionatur; & tandem Concionem per ferventem Epilogum concludit; ac, ubi à Concione sua discesserit, super successu concionis se reflectit; ita id ipsum cum proportione in Meditatione velut privata suiipsum exhortatione observandum est.

I I I. Et Præparationem quidem quod attinet, quanto pere ea necessaria sit, jam olim Siracides c. 18. indicavit, dum dixit: *Ante Orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat DEVM*, id est, exigens aut sperans ipsius auxilium, cum tamen te ad illud percipiendum per cooperationem disponere nolis. Certè quod de Concionatoribus dici plerumque solet: *Qui ascendit sine labore, descendit sine honore*: id de fructu orationis meliori jure usurpari potest, ut scilicet talis vel consolatio vel emendatio ex Meditatione percipiatur, qualis præparatio præcesserit. Porro triplex plerumque Præparatio ab Ascetis post S. Ignatium requiritur. 1. *Remota*, quæ in eo consistit, ut & materia sequenti die discutienda prælegatur, & disponatur, & tum vespere ante somnum, tum manè, ubi quis evigilaverit, menti per memoriam repræsentetur. 2. *Propinqua*, quæ requirit, ut à loco Meditationis uno, alteròve passu distans,

animo

animo breviter erecto ad DEVM, eundem quasi præsentem, & quid acturus sit is, qui meditabitur, spectantem imaginatur, humilémque illi reverentiam exhibeat. 3. *Proxima*, ad quam S. Ignatius tria præludia exigit (saltem si pro materia Meditationis historia habetur) quorum primum est præsentatio nuda historię seu Mysterij absque discussione facta, ut sciatur materia, de qua mox meditandum est, sicque animus paulatim ad illam considerandam exciteretur; sic cum quis oculos in tabulam aliquam pictam, in qua magnarum rerum varietas reperitur, conijcit, prius unico quasi intuitu omnia confusè cernit, discitque, quid in tabula tali continetur; postea verò figit oculos in singulis particularibus rebus quę ibi pictę sunt, easque accuratiùs perpendit.

Alterum præludium compositionem loci involvit, quod nihil aliud est, quàm fictio seu visio imaginaria loci illius, in quo res, de qua meditatur, gesta est; aut certè, si res incorporea est, alterius cujuscumque rei, quę præsentis materię convenit, imaginatio; hæc enim loci imaginatione valde juvatur animus ad attentionem retinendam, eò quòd Phantasia certę rei affixa contineatur, ne tam facilè evagetur; aut certè, si quando divertat, habeat ad manum, quo se facilè colligat, & in antiquum locum revocet. Rectè tamen hoc locum tenent Patres Spirituales, diligenter cavendum esse, ne in tali compositione fabricandã Exercitans immoretur, aut vitæ capiti faciat, cum nequam in ea fructus præcipuus Meditationis consistat, sed via duntaxat sit, & instrumentum ad fructum.

Tertium præludium est petitio gratiæ, quã fructus proprię Meditationis argumento correspondens obtineatur. Et hæc quidem ultima duo præludia in omni Meditatione usurpanda sunt; uti in progressu practico exemplis demonstrabitur.

IV. Discussio, quę nihil aliud est, quàm accurata propositę materię secundum suas circumstantias aut varios sensus ponderatio ad pium aliquem affectum excitandum ordinata, variè à varijs peragitur; nam aliqui quidem familiariter illum Versiculum: *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur quomodo, quando*: adhibent, & secundum has circumstantias materiam propositam discutunt. Alij ex singulis partibus

ſtis ſingulas doctrinas eruunt, & ſibi applicant; alij unicâ  
 duntaxat doctrinâ contenti, eam per totam Meditationem  
 ruminant eo ferè modo, qui mox ſubiicietur. Et hic modus  
 duplici ex capite reliquis præferendus videtur, quia ſcilicet  
 & ipſe intellectus plùs temporis habet ad doctrinam accura-  
 tiùs conſiderandam; & voluntas tantò vehementiùs impelli  
 poteſt ad illam doctrinam amplectendam, quantò plura ab  
 intellectu motiva, mediâque excogitantur, & repræſentan-  
 tur ad illam perſuadendam accommodata. Quem in ſinem  
 proderit obſervâſſe, quod ex primario quodam Concionato-  
 re audiviſſe me memini, qui dicere ſolebat, ſe facilem mo-  
 dum novis Concinatoribus oſtenſurum, quem ſi obſervent,  
 certò ſibi polliceri queant, concionem ſuam Auditoribus  
 non utilem duntaxat, ſed gratam etiam futuram. Rogatus  
 ergo, ut modum hunc aperire dignaretur, reſpondit, eum in  
 his quatuor aut quinque indiſtriis ſive præceptis conſiſtere.  
 Et 1. quidem ante omnia laborandum, ut doctrina valde præ-  
 ctica, & in quotidianum ferè uſum veniens pro Scopo & ma-  
 teria Concionis eligatur. 2. Dandam eſſe operam, ut do-  
 ctrina illa bene explicetur, ut intellectus Auditorum bene il-  
 luſtretur, diſcâtque, quid ab illis per talem doctrinam exi-  
 gat. 3. Unam vel alteram rationem afferendam eſſe, per  
 quam voluntas excitetur ad talem doctrinam amplecten-  
 dam, atque ut hæc excitatio faciliùs obtineatur, etiam pul-  
 chro aliquo & authentico exemplo vel historia allatas ratio-  
 nes confirmari poſſe. 4. Quia frequenter à tali doctrina  
 practicanda Auditores vel per difficultatem Operis, vel certè  
 per alias vanas perſuaſiones & excuſationes abſterrerent ſe ſi-  
 nunt, ideo vanitatem harum perſuaſionum oſtendendam,  
 mediùmque unum vel alterum ad facilirandam doctrinæ  
 propoſitæ praxin eſſe ſuggerendum. 5. denique totam con-  
 cionem ferventi & zeloſo Epilogo concludi debere, ut, ubi  
 tam ſeriò rem agi à Concionatoſe advertit Auditor, ad aſſen-  
 ſum faciliùs perſuaderi ſe permittat. Hæc, inquam, tota  
 doctrina ſi in Meditatione (quam eſſe quaſi privatam con-  
 cionem ſuprà dixi) quoque obſervaretur, & in primo quidem  
 puncto doctrinæ propoſitæ qualitas & praxis ab intellectu  
 bene indagaretur; in ſecundo motiva ad eam amplectendam  
 impellentia proponerentur; & in tertio tandem media ad fa-  
 ciliorem



ciliores ejusdem doctrinæ praxin conducentia inquirentur, dubitari sanè vix possent, quin magnus ex tali Meditatione fructus, nec minus solatiuin reportaretur. Alij denique modum per quatuor Quæstiones sese examinandi adhibent, ita ut post præmissa consueta Præludia 1. quærant ex se, quod est punctum Meditationis præsentis? & per exercitium memoriæ mox vel historiam, vel sententiam, aut aliam materiam, quam pro Meditatione elegerunt, recolant, & tum actum Fidei cum actu reverentiæ & humilitatis subjungant. 2. quærant, quid de hoc puncto considerandum? & mox per Exercitium Intellectûs, Personas, Verba, Actiones, Circumstantias loci, temporis, modi, causas, effectus &c. considerent. 3. quærant, quid mihi utilitatis spiritualis ex præcedentibus capiendum? & mox respondeant, in primis varios affectus esse concitandos, puta Reverentiæ erga talem Personam, Adorationis, Fiduciæ, Amoris, Timoris, Admiratiõnis, Laudis, Pudoris, Compassionis, Congaudiij & Congratulationis &c. qui propterea statim reipsa elici possunt. Deinde etiam doctrina aliqua practica, v. g. virtutem aut vitij fugam, quam imiretur, eruendam, ejusque vel necessitatem, vel utilitatem, dignitatẽque considerandam, sibi que applicandam. Quod ut efficacius fiat, poterit doctrina talis ad alios primùm applicari, dici que v. g. quid si alius hoc vel illud faceret, an non insigni laude, merito, præmio, aut è contrario reprehensione, pœnãve dignum existimares? postea ad se fiat conversio, perpendaturque, quantò magis sibi ejusmodi doctrina conveniat, sive ex vi Statûs, sive ob propriam infirmitatem, sive ob peculiaria dona ac talenta, ac beneficia, favorẽsque acceptos. Denique media & occasiones inquirendas, firmumque propositum executionis in casu particulari utincipiendum. 4. quærant, quid super his cum DEO & Sanctis colloquendum? & respondeant, esse agendas DEO gratias, aliãque præstanda, quæ in sequenti numero de colloquijs dicentur. Et hunc modum velut simplicissimum ijs plerumque suadent Patres Spirituales, qui rudioris sunt ingenij & intellectûs, atque in Meditationis Exercitio parùm adhuc exercitati; per illum quippe obtinebunt, ut aliquem saltem fructum ex singulis quæstionibus obtineant, sicque non facillè inutilem Meditationem faciant; qui tamen ipse  
modus

mōdus, ut aliis etiā servire possit, infra cap. 3. paulō fū-  
sius proponetur.

V. Colloquia vel singula singulis punctis submitti, vel  
in fine ultimi puncti unum aut plura formari possunt; atque  
vel ad Sanctos, vel ad B. Virginem, vel ad Christum, vel ad  
æternum Patrem, aut Spiritum Sanctum institui, tantōque  
meliora erunt, quantō pluribus, & ad materiam propositam  
accommodatis affectibus abundarint. Potissimi autem affe-  
ctus, qui plerumque elici possunt, & solent in ejusmodi col-  
loquiis, sunt Admiratio, Gratulatio, Gaudium, Gratiarum  
actio, Dolor, Erubescencia, Humilitas, Oblatio, Desideri-  
um, Propositum, Fiducia, Amor, Invocatio, Obsecratio,  
Laus, quorum eliciendorum practicum exemplum in secun-  
da parte asseretur.

VI. Examen denique requirit, ut reflexio super ingres-  
su & progressu, & successu Meditationis instituat, & si qui-  
dem bene successisse comperiat, debitæ gratiæ agantur,  
sin minus prosper successus obvenerit, dolor concipiatur, ve-  
nia petatur, causa mali successus inquiratur, & emendatio  
proponatur. Præterea verò alia quoque duo documenta  
circa hoc Examen communiter suggerunt Ascetæ, nempe ut  
& per diem idem proposita in Meditatione concepta  
recolantur, & ubi peculiaris à DEO illustratio obtigerit, ea  
breviter, ne memoriam subrefugiat, in libello ad hoc de-  
putato annotetur.

### M E M B R U M III.

#### De Consideratione.

##### Natura & Scopus.

I. Per hanc nihil aliud intelligitur, quàm ponderatio  
cujusdam objecti, minori cum apparatu, quàm Meditatio  
fieri consuevit, facta. Unde differt à Meditatione triplici  
ex capite.

II. Primò ratione *Objecti*: nam in Meditatione ple-  
rumque aut Mysterium aliquod, aut veritas supernaturalis  
discutienda assumitur; in Consideratione autem plerumque  
actiones particulares, quarum reformatio intenditur: aut  
Regulæ, quarum observatio quaeritur: aut, ut P. Paulus

*Instruct. VIII.*

B

Barry

Barry in solitudine Hagiophilæ præscribit, nervosæ quædam rationes ad certum quempiam affectum concitandum apte assumuntur.

III. Secundò differt ratione *Modi*: cum enim in Meditatione accurata objecti propositi discussio, & laboriosa voluntatis ad varios affectus concitatio, nec non varia cum DEO aut Sanctis colloquia instituuntur; nihil simile in consideratione, ut mox patebit, est necessarium; hinc neq; tantâ, quanta in Oratione adhiberi consuevit, attentione est opus.

IV. Tertio Ratione *Dispositionis* corporis & animi: nam in Meditatione quidem animus tum per varia præludia, tum per convenientem situm corporis ad reverentiam disponendus est, ut eâ, quâ par est, reverentiâ atque decentiâ, colloquia cum DEO, Sanctisque misceantur; in Consideratione verò, cum sola super actionem quandam ritè instituentiam, aut Regulam observandam reflexio ac propositum commendationis intendatur, variique affectus non ex composito, sed prout temerè occurrunt, eliciantur, nullo simili apparatu est opus, sed liber est situs corporis, inodò finis per eam intentus obtineatur.

V. Atque ex his facile nunc patet, quis præcipuè sit Scopus, ad quem in ejusmodi Consideratione collimandum est, videlicet inspectio & reformatio Status; etsi enim hic finis toti Secessui Spirituali sit propositus, ut supra dictum est, per hanc tamen Considerationem specialius intenditur, & obtinetur, eò quòd hæc in particulari descendat ad actiones quotidianas & suo Statui convenientes reformandas, in qua ordinatione potissimum reformatio hominis consistit.

#### Æstimatio.

Etsi fortè hæc Consideratio primâ fronte, eò quòd minori apparatu & præparatione, ac contentione fieri plerumque soleat, minorem quoque fructum polliceri videatur, aliter tamen de ea sentiunt Ascetæ, ex quibus citatus Barry in monitis suis ad solitudinem Hagiophilæ testatur, experientiâ sibi probatissimum esse, tantundem, imò nonnunquam plus, has considerationes ad præfixum reformationis Scopum producere, quàm ipsas Meditationes. Et, merito, nam per illam acqui-

acquiratur vera sui cognitio, sine qua, teste S. Bernardo f. 37. sup. Cant. nemo potest salvari; de qua nimirum Mater Salutis humilitas oritur; Et timor Domini, qui Et ipse, sicut initium Sapientia, ita Et Salutis est. Clarius verò idem Sanctus fructus hujus considerationis in Ep. ad Eugenium Pontificem describit, dum ait: *Primum ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur, Consideratio purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, mores componit, vitam honestat, Et ordinat; postremo divinorum pariter, Et humanarum rerum scientiam confert.* Unde merito in Persona DEI ad eandem hortatur idem Sanctus his verbis: *O homo, si te videres, tibi displiceres, Et mihi placeres; sed quia te non vides, tibi places, Et mihi displices. Veniet tempus, cum nec mihi, nec tibi placebis: mihi, quia peccasti: tibi, quia ardebis.*

## Praxis.

I. Hæc in sequentibus ferè capitibus consistit. 1. Antè, quàm tempus pro Consideratione destinatum adveniat, breviter materia, de qua instituenda sit consideratio, eligetur. 2. Oratio brevis, quæ gratia ad eam cum fructu instituendam petatur, præmittenda est. 3. Ipsa Consideratio inchoabitur, & si quidem pro materia actio quæpiam vel regula electa sit, primùm quid actio illa vel regula ad suam perfectionem, requirat, inquiratur. Subinde examinabitur, quomodo ea à nobis perfectio sit procurata. Quomodo item Christus eam suo exemplo docuerit, & nos imitari ipsum debeamus, dispicietur; & si opus videatur, causa, radixque defectuum circa illam actionem vel regulam admissorum inquiratur, & opportuna ad eam tollendam remedia excogitabuntur. Quòd si verò rationes & motiva quædam, vel axiomata pro materia considerationis assumpta fuerint, ab initio motivi æquitas & efficacia ponderabitur: Mox virtutis, ad quam persuadendam tendunt tales rationes, exercendæ, aut vitij fugiendi propositum concipietur, dolorque & erubescencia de errore, si fortè quis ea in re admissus est, elicietur, veniæque à DEO, & gratia ad emendationem necessaria petentur. Quòd si verò magnus in ea virtute plantanda, aut vitio fugiendo profectus deprehenderetur, breviter

gratiæ DEO debita perfolvi, & confirmatio in incepto humiliter peti potest.

## MEMBRUM IV.

## De Vocali Oratione.

## Natura &amp; Scopus.

I. Etiam hæc non est omittenda Exercitiorum tempore, quin imò tantò majori cum devotione peragenda est, quantò melius ad illam animus per internam & externam Collectionem est dispositus.

II. Triplex autem est Orationis vocalis Scopus, quorum primus est, laudare & benedicere DEVM & Sanctos ejus. Secundus, varias à DEO & Sanctis gratias petere. Tertius, varios virtutum actus, sed Gratulationis maximè & Amoris, Timoris & Doloris ob peccata admiffa, Fiduciæ in varijs petitionibus proponendis, Desiderij respectu cœlestium bonorum, & Imitationis in variarum virtutum, præcipuè amoris & beneficentiam studio elicere. Unde oratio hæc vocalis breviter sic definiri potest: Est pia & affectuosa cum DEO collocutio; *quando enim legis, tibi loquitur DEVS: quando oras, tu cum DEO loqueris;* inquit S. Augustinus in Pl. 85.

## Æstimatio.

Ad hanc concipiendam nihil æquè proderit, quam si bene ponderetur, orationem vocalem esse colloquium cum DEO & Sanctis, in quo homo orans suum erga DEVM & Sanctos, seipsum, & Proximos, tam viventes, quàm defunctos amorem præclare ostendere, & eorum viciffim amorem, benevolentiam, & beneficentiam copiosè promereri possit: unde præclare S. Chrysostomus l. 2. de orando DEO ait: *Quanta dignitatis sit, hominem cum DEO miscere sermonem, neminem latet. Caterum eam dignitatem ratione etiam Angelorum superat Majestatem, quod ipsi probe intelligentes, apud Prophetas describuntur omnes multo cum tremore, laudes & cultum DEO offerentes, facies quidem ac pedes ob ingentem reverentiam regentes, volatu verò, dum non valent quasi manere, magnum tremorem declarantes.*

rantes. Sed & S. Climacus grad. 28. vocat Orationem Matrem, Reginam, Cibum & fontem virtutum, gratiarum ministram, & profectum invisibilem. Unde & ipse Christus S. Catharinæ Senensî Dial. c. 66. dixit: *Noveris, Filia charissima, quòd in Oratione humili, continuâ, fidei, cum vera perseverantia lucratur anima perfectionem, & omnem virtutem.*

Praxis.

I. Hæc in eo consistit, ut, quemadmodum Sacerdotes suum Officium diurnum, ita ij, qui Sacerdotes non sunt, Officium saltem B. Virginis, si fieri commodè potest, & quidem distinctis per intervalla horis, attentè, reverenter ac devotè recitent.

II. Deinde, ut etiã Rosarium seu Corona B. Virginis devotè quotidie percurratur; cum enim B. Virgo, ut aliquando S. Terefiæ revelatum est, Exercitiorum horum quoddammodo Autrix & Fundatrix sit, eaque S. Ignatium docuerit, atque adeò singulari studio ad illorum fructuosum usum haud dubiè cooperatura sit, æquum sanè videtur, ut benevolentiam illius is, qui Exercitia hæc obit, specialibus obsequijs, inter quæ Rosarij recitatio non postremum est, demereri studeat.

III. Denique ut, si occasio ferat, interdium SS. Eucharistiæ Sacramentum visitare, & devoto Hymno vel alia simili oratione venerari & invocare non omittat; dici enim vix potest, quantum ad tenerum devotionis internæ sensum excitandum hæc DEI incarnati corporalis præsentia fortiter menti impressa conducat; unde meritò Directores horum Exercitiorum magnopere semper commendant frequentationem hoc tempore SS. Sacramenti visitationem.

MEMBRUM V.

De Læctione Spirituali.

Natura & Scopus.

I. Cum, ut superiore membro vidimus, Læctio Spiritnalis sit quasi auditio DEI loquentis, & quasi exhortatio quæpiam privata ab eodem ad nos facta faciliè colligitur, quis Scopus debeat esse præfixus huic Læctioni, scilicet, ut

cognoscamus voluntatem DEI atque ad eandem voto animi conatu exequendam excitemur.

### Æstimatio.

Quanti facienda sit pia hæc Lectionis Spiritualis exercitatio, breviter & sapienter indicat S. Isidorus, dum l. 3. de summo bono dixit; *Qui vult cum DEO esse, frequenter debet orare & legere. Nam cum oramus, ipsi cum DEO loquimur: cum vero legimus, DEVS nobiscum loquitur. Omnis profectus ex Lectione & Meditatione procedit.* Certè experientiâ constat, primarias aliquas conversiones & reformationes per hanc lectionem fuisse procuratas, uti ex S. Augustini, S. Iguatij, aliorumque exemplis videre est. Neque hoc mirum adeò cuiquam videri debet; si enim tot, tamque celebres conversiones per publicas Conciones effectæ sunt, quidni similis efficacia ipsi etiam Spirituali Lectioni attribuantur, quæ, ut dictum est, quasi privata Concio dici potest, habetque plura privilegia, quibus publicas Conciones superat, nam 1. Concionator talis haberi potest, quando placet. 2. Haberi quoque potest talis concio, quamdiu placet. 3. Materia prohibitu eligi potest. 4. Si quid sub hac concione placeat, semel, iterumque relegendo reperi potest. 5. Veritas sine pudore & verecundia liberè dicitur, & auditur in tali concione.

### Praxis.

I. Consistit hæc praxis in tribus præcipuè industriis.  
I. Ut Materia Lectionis sit studiosè selecta, aptaque ad ipsam finem, quem per Exercitia præcipuè quarimus, facilius consequendum. Unde Directorium c. 3. n. 2. monet, ut ipse Exercitans moneatur, doceaturque, hanc lectionem ad Meditationem dirigere, non legendo cursim aviditate sciendi, & videndi nova, sed immorando & perpendendo accuratè, quæ legit, & intrandi in eisdem affectus.

II. Secundo, ut Lectio hæc moderata sit, ne nimia Lectione vires exhauriantur, & tempus Meditationi, cui omnia servire debent, subtrahatur. Hinc ut occasio curiosæ aut nimix Lectionis præcidatur, suadet Directorium, ut præter Breviarium aut Officium B. Virginis, librum de Imitatione Christi

Christi (ex quo quotidie unum saltem aut dimidium caput de industria selectum, & præter hoc interdum una, alterave sententia fortuito sortita legi deberet) & alium quempiam historias aut salutare doctrinam continentem vix alius liber in cubiculo relinquatur.

III. Tertiò ut pia quoque & fructuosa sit Lectio, cumque in finem ab Oratione brevi inchoetur, & claudatur, imò & interrumpatur, ut S. Bernardus in Epist. ad Fratres de Monte monet, dum ait: *Hauriendus Lectiois serius affectus est, & formanda Oratio, qua Lectioem interrumpat, & non tam impediatur interrumpendo, quam puriorem continue animi ad intelligentiam Lectiois restituit.* Dereliquo vero consilium pij Ascetæ l. 1. de imit. c. 5. observetur dicentis: *Omnis Scriptura Sacra eo Spiritu debet legi, quo facta est. Quære potius debemus utilitatem in Scripturis, quam eloquentiam sermonis. Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, & fideliter applicando doctrinam, quam legis, atque ad praxin dirigendo.*

## MEMBRUM VI.

## De Examine Generali.

## Natura &amp; Scopus.

Ex quinque punctis, quæ communiter ad Examen requiruntur, videlicet Gratiarum actione pro acceptis beneficiis, petitione gratiæ & luminis ad peccata sua cognoscenda, operum suorum discussione, dolore efficaci de peccatis commissis, & serio emendationis proposito, facile colligitur, triplicem huic Examine Scopum præfixum esse debere, videlicet 1. Gratum beneficiorum à DEO acceptorum memoriam, ut dum Homo fluminum more ad mare immensum divinæ liberalitatis per grati animi obsequium revertitur, iterum fluere, novaque beneficia accipere mereatur; nam *jugiter, teste Cassiodoro super Psalm. sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit; & invitat ad magna, qui gratanter accipit modica.* 2. Coguitionem sui intimam; iste namque, teste D. Gregorio l. 10. mor. c. 22. *Infortium labor est in hac vita, ut semetipsum inveniunt, & inveniunt flendo & corrigendo ad meliora perducant.* 3.



Seriam vitæ præteritæ malè transactæ detestationem & reformationem; ut enim idem Sanctus loc. cit. ait, *Electi intra finem cordis adversum se, quidquid impugnat, enumerant: ibi ante oculos suos omnia, quod desleant, coacervant: ibi, quidquid per iram distracti Iudicis discerni possit, intuentur: ibi tot patiuntur supplicia, quos pati timent.*

#### Æstimatio.

I. Triplici præcipuè ex fonte æstimatio hæc haurienda est. 1. Ex ipsa necessitate hujus Exercitij; sicut enim nec Discipuli in Scholis debitam diligentiam, nec Famuli requisitam Fidelitatem, nec Artifices necessariam curam adhibent, nisi diligenter ab ijs ratio suo tempore exigatur; ita nisi hoc examen in omnibus actionibus crebrò & accurate adhibeatur, nullus in profectu virtutis & perfectionis fructus sperandus erit, id quod sapienter S. Dorotheus ser. 7, advertit, dum dixit, illud potissimùm, ut turbemur, in causa esse, quòd sedulò nosmetipsos non accusamus, nec eâ, qui debemus, diligentia quæramus nos ipsos privatim arguere. *Hinc omnis nostra, inquit, molestia & afflictio promanet. Hinc est, quòd quietem nunquam, & nullibi alibi pacem sanciscimus. Neque id quidem mirum, quandoquidem ortu omnium Sanctorum celebratum ac contestatum habemus, nullam præter hanc ad DEVM patere viam, nec unquam aliquem aut vidimus, aut audivimus, qui aliâ, quàm hæc ad DEVM accesserit, viâ, aut ad quietem pervenire voluerit.*

II. 2. Ex utilitate tum ad vitiorum extirpationem; nam, ut S. Chrysostomus s. quales duc. uxor. rectè dixit, licet satius esset, omaino à peccato abstinere, non parvum tamen ad salutem momentum est, agnitum peccatum damnare, & vestigare diligenter Conscientiam, utpote cum hoc justificationis pars sit, & in posterum à peccato arceat; imò, ut Abbas Pimenius olim, teste Rosweido p. 512. dixit, hæc sola hominis justitia est, ut semper semetipsum reprehendat, & tunc justificabitur, cum sua peccata condemnat: tum ad virtutum acquisitionem, hæc quippe discussio sui est Officina juxta Ascetas, in qua timor DEI, humilitas, compunctio, perseverantia, prudentia, & amor DEI cuditur, unde ab alijs Cornucopiæ vocatur charismatum cælestium, quæ in animam

mam infert: tum ad *cognitionem sui* obtinendam, quæ omnium scientiarum altissima & utilissima meritò dicitur. Certè per hoc Exercitium & Electionis Regulas S. Ignatium ad tantam, quam miramur, perfectionem ac sanctitatem pervenisse, Orlandinus l. 16. hist. Soc. testatur, unde ad alios quoque perficiendos hoc potissimum Examine velut præcipuo instrumento est usus; ut adeò meritò dixerit S. Laurentius Justin. *Quisquis virtutum amator est, diligens sui inquisitor sit.*

III. 3. Ex *juvunditate* quoque eadem æstimatio concipi potest, cum enim hoc Exercitium ad Conscientiam præcipuè purificandam & pacificandam tendat, non potest non insigne solatium & lætitiã afferre illi, qui fructuosè illud peregerit; cum, teste pio Asceta, si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possideat puri cordis homo.) Hinc præclare Seneca l. 3. de ira c. 36. *Qualis, inquit, ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus. Et Speculatur sui, Censorque secretus cognoscit de moribus suis.*

## Praxis.

I. Hæc in sequentibus industriis præcipuè consistit. Primò, ut gratiarum actionem in primo puncto præscriptam quis magno cum sensu animi, seriòque persolvat, non de generalibus duntaxat, sed particularibus etiam beneficiis gratum & memorem se exhibendo, id quod hoc vel simili modo prækari potest. *Gloria tibi sit, O Pater, quoniam creasti, conservasti, Et ad vitam, ut spero, aeternam prædestinasti me: Gloria tibi sit, O Fili, quoniam redemisti SS. Corpore Et sanguine tuo refecisti, Et adhuc vel illum Statum vocasti me: Gloria tibi sit, O Spiritus Sancte, quoniam justificasti, illuminasti, Et roborasti me. Gloria Et gratiarum actio tibi sit, O SS. Et individua Trinitas, à qua omnia bona accepi, qua habui, aut etiamnum habeo in corpore Et anima, cujus etiam protectione omnia mala evitavi, quibus alij afflicti fuerunt, aut etiamnum affliguntur. Pro his itaque Et omnibus beneficiis SS. Christi Humanitati, Sanctissima illius Matris, Omnibus Sanctis, omnibus defunctis Et viventibus, Et mihi indigno concessis, laudo, Et benedico pro viribus M-*  
*jeslatem*

jestatem & beneficentiam tuam, unicuique opto ac peto, ut  
me tibi perpetuo gratum exhibere valeam.

II. Secundò eadem praxis requirit, ut ipsa discussio  
operum nostrorum magna cum prudentia peragatur, id est  
ut non anxie nimis, longiorique, quam par est, tempore ei-  
dem discussioni mens inhæreat; neque enim in hoc discus-  
sionis huius fructus consistit, ut minimos etiam Conscience  
pulvisculos deprehendat, sed ut graviores saltem & potiores  
defectus, & causas ac radices eorundem etiam inquirat, tol-  
lâtque, & sic efficiat, ut, si hæcenus fuerunt multi, post hæc sint  
pauci: si fuerunt majores, deinceps minores existant. Sed de  
illa S. Bernardi l. 58. in Cant. doctrina hoc loco bene nota-  
nda est: *Scrutemur vias nostras juxta Prophetam, & studia  
nostra, & in eo se quisque judicet profecisse, non cum invenerit,  
quod reprehendat, sed, cum, quod invenerit, reprehendat.  
Tunc te non frustra scrutatus es, si rursus opus esse  
scrutinio adverteris; & toties te non sefellit inquisitio, quo-  
ties iterandum putaveris.*

III. Tertiò ut dolori, propositoque, in quibus fructus  
examinis consistit, præcipue insistatur; nam præterquam  
quòd hic dolor & propositum sint efficacissimum ad emenda-  
tionem procurandam medium, ita ut pius Asceta l. 1. c. 19.  
dicere ausus sit, secundum propositum nostrum cursum pro-  
fectus nostri futurum; DEVS etiam sibi specialiter compla-  
ceret in tali dolore & proposito; nam, ut Christus S. Gertrudi  
l. 4. in fin. c. 60. revelavit, quotiescunque homo tali modo  
dolet, toties DEI Filius inæstimabili novæ exultationis sus-  
citavit affectus, eadem verba (scilicet *vidi sanctam Civita-  
tem Ierusalem*) concivit DEO Patri; quod & S. Bernardus  
confirmavit, dum ser. 3. de adv. dixit: *Diligit DEVS ani-  
mam, qua in conspectu ejus & sine intermissione considerat,  
& sine simulatione dijudicat semetipsum.*

## MEMBRUM VII.

### De Particulari Examine.

#### Natura & Scopus.

Quemadmodum juxta commune proverbium pluribus  
intencus minor est ad singula sensus, ita juxta aliud adagium  
nemo

nemo magis timendus est, quàm qui uni rei se impendit. Ob quam causam hoc exercitium examinis particularis inventum est, quod proinde nihil aliud est, quàm singularis cura ac studium in certo aliquo vitio extirpando, vel certâ virtute plantanda, vel actione quâpiam reformanda, quæ tria objecta sunt Scopus & finis hujus Examinis.

### Æstimatio.

Quàm magna de fructu hujus Examinis æstimatio sit concipienda, vel ex eo satis colligitur, quòd, sicut est conflictus particularis cum hoste maximo, ita non laus duntaxat & gloria singularis, sed pax etiam & meritum ingens ex fructuosa illius praxi speranda sit. Certè experientiâ quotidiana constat, multos per constantem hujus Exercitij usum brevi tempore perfectam vitiorum quantumvis gravium extirpationem obtinuisse, sicque facto ipso probasse, quod pius Asceta l. 1. de imit. c. 11. dixit: *Si omni anno unum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur.*

### Praxis.

I. Consistit hæc praxis in quatuor ferè industriis. Prima est *Electio Materia*; ubi, si quidem cum vitio aut defectu configendum sit, Horatij Romani Militis contra tres Curianos Fratres, & pariter milites pugnantis præ oculis habendum, & imitandum est, ut scilicet, sicut ille non contra omnes simul, sed primò contra robustiorem solum, dein contra minus validum, & denique contra debilissimum pugnavit, & sic sine grandi difficultate vicit, ita id ipsum circa sua vitia & defectus observet is, qui Examen particulare fructuosè facere cupit; fortior autem cæteris paribus hostis seu defectus censetur, qui aut universalior est, multosque alios defectus involvit, & secum trahit; aut alios magis scandalizat; aut erga quem vehementius nos affici, aut per consuetudinem impelli sentimus. Neque contemnendum est circa hanc industriam illorum consilium, qui etiam, dum vitium certum eradigare quis cupit, virtutem vitio tali contrariam pro materia examinis particularis assumendam censent, ut eadem operâ & vitium evellatur, & virtus plantetur.

II. Altera industria est in ipsa actuali pugna observanda, ut sci-

ut scilicet manè, dum è lecto surgitur, firmum propositum vitandi aut exercendi propositum vitium aut virtutem eliciatur: subinde, ubi tempus aut occasio pugnae praesens fuerit, motivum prius ad hunc finem excogitatum menti obijciatur, & illius impulsu fortiter hosti resistatur, aut virtus exerceatur. Et si quidem superari contingat, manu peccati ad mota de errore commisso mox dolor concipiatur; nam, ut S. Gregorius l. 11. mor. c. 17. ait, *Electi culpis suis nunquam sciunt parcere, ut possint culpam Iudicem placatum invenire.*

III. Tertia industria & propria huic exercitio (ob quod Examiniis nomen accepit) est ipsa reflexio, qua numerus lapsuum, vel certe actuum circa virtutem propositam exercitorum indagetur, & dies cum die, hebdomas cum hebdomada conferatur; quam industriam jam olim S. Chrysostomus ho. 11. in gen. suaserat dicens: *Ne ita simplicitate jejuniorum hebdomada praetereant, scrutemur suam quisque conscientiam, & rationem examinemus, & consideremus, quidnam in hac hebdomada probe actum sit, quid in alia, & quale augmentum fecerimus ad sequentem, quas in nobis affectiones correxerimus.* Cujus collationis fructum alibi ostendit, dum ait: *Discamus igitur, & vitia nostra recensentes, ea tempore corrigamus, & hoc mense unum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur.* Sic enim tanquam per gradus ascendentes per scalam Jacob ad caelum pervenimus. Etenim scala illa mihi per illam visionem paulatim per virtutes ascensum significare videntur, per quam in terra ad caelum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus, sed morum incremento & correctione.

IV. Quarta tandem industria est, ut per poenitentiam sibi ipsi pro numero lapsuum injunctam salutaris timor concipiatur ad majorem deinceps in lapsu cavendo sollicitudinem adhibendam; id quod jam olim Seneca in epist. 28. ad Lucil. indicavit dicens: *Quantum potes, te ipsum coargue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde Iudicis, novissime deprecatoris, aliquando te offende. Desinet ira (idem de aliis vitiis sentiendum) & moderatio existet, qua sciet sibi quotidie ad Iudicem esse veniendum.*

MEMBRUM VIII.

De Confessione generali.

Natura & Scopus.

I. Et si hæc non pertineat necessariò ad Exercitia, communiter tamen suadetur à Patribus Spiritualibus, non quidem ut à tota semper vita instituat ( hoc enim semel accurate fecisse sufficit ) sed ut peccata ab anno, vel certè ab ultima confessione generali commissa explicentur ; idque ob multiplicem utilitatem, quæ merito inde sperari potest, ut paulò post ostendetur.

II. Porro duplex potissimum Scopus huic confessioni generali statuitur. Prior est compensatio defectuum, qui forrè in particularibus confessionibus contigerunt ; cum enim in his ordinariè neque tanta præparatio, neque tantus etiam dolor adhibeatur, quantus requiritur ad confessionem non dico validè, sed fructuosè, id est, cum serâ detestatione peccatorum, & efficaci proposito deinceps ea cavendi, instituendam, uterque hic defectus abunde per confessionem ejusmodi generalem in recessu spirituali factam, suppletur, utpote in qua & tempus, & occasio copiosior suppetit ad conscientiam meliùs examinandam ; & præterea animus tum per varias Meditationes de peccatorum gravitate & multitudine institutas magis dispositus est ad sincerum dolorem de iisdem peccatis eliciendum.

Æstimatio.

I. Concipi hæc non difficulter poterit, si triplex fructus, quem ejusmodi Confessio generalis afferre solet, bene perpendatur ; quorum primus est, quòd singulare subsidium afferat ad veram vitæ reformationem instituendam, dum scilicet Homo ex aspectu plerorumque suorum peccatorum sub unum quasi cumulùm conjectorum, detestandum, & miserum animæ suæ statum conspiciat, atque adeò ad eundem immutandum vehementer excitatur, ut, ubi hæctenus abundavit iniquitas, ibi deinceps exardescat caritas ; Et, quantò plura remissa sunt peccata, tantò abundantius diligatur, qui tam misericorditer ea remisit.

II. Secun-

II. Secundus fructus est, quòd non parùm etiam ad meritum & satisfactionem pro peccatis præteritis condignam præstandam juvet talis confessio; tum quia plerumque contritio & dolor longè vehementior ex conspecto tot officiorum cumulo concipitur, siquæ Pœnitens ad Confessionem & Eucharistiæ Sacramenta digniùs & fructuosius percipiendâ magis disponitur; tum quia ob insignem, quam de se ipso reportatis, qui confitetur, victoriâ, non modicum antiquè à DEO præmium promeretur.

III. Tertius fructus est, quòd vel maximè etiam ad tranquillandam conscientiam, atque adeò insignè animæ solatium conducatur generalis confessio; ita, ut P. Paulus Barnabæ in solit. Hagioph. dissert. matut. 2. diei dicere audeat, ne calamo, nec linguâ explicari possit tranquillitatem animi à voluptate, quâ fruatur is, qui molestum hoc conscientia onus deposuit, addâtque, se animas reperisse post tales confessionem factam adeò contentas, ut etiam ipsi lacrymarum solatii testes elicerent. Rationem verò hujus solatii Directorium Exercitiorum hanc assignat, quòd experiamur, Homines plerumque aut sine sufficienti examine, aut sine debito dolore, nullo vel infirmo valde proposito ad confessionem ordinariam accedere, atque adeò ad pacem Conscientiæ consequendam, scrupulosque tollendos, qui, si non antè, in hora mortis certè excruciare, & in periculum salutis æternæ adducere solent, plurimùm profit, exactam aliquandâ de omnibus peccatis rationem reddere.

#### Praxis.

I. Hæc in tribus præcipuè consistit industriis, quarum prima est, ut caveatur quidem ex una parte nimia in peccatis colligendis anxietas, ne semper deinceps scrupulorum reliquiæ maneant; ex altera tamen parte tam diligenter & accuratè instituat hęc confessio, ut postea secura possit esse se anima, se fecisse, quod in se erat; nam sine hoc, ut bene notat Directorium, nunquam frui poterit illa animi pacis & conscientiæ tranquillitate, quam optat. Et ideo præter proprium studium & diligentiam ipsius, qui Exercitia facit, juvandum est aliquâ viâ & methodo ad bene confitendum, nisi ipse per se ad hoc sufficiens videatur.

II. Alce

II. Altera industria est, ut confessio hæc eo maximè tempore instituat, quando animus exercitantis per Exercitia primæ hebdomadæ, intimam peccatorum cognitionem, veramque contritionem nactus ereditur.

III. Tertia est, ut, etsi ut plurimum non expediat fieri Confessionem ei, qui tradit Exercitia, si tamen id ipse exigat pro sua devotione, omnino ejus petitioni satisfiat maximè si ad hunc ipsam finem prius Directori statum animæ suæ, dubiâque circa illum occurrentia aperuisse.

MEMBRUM IX.

De Collatione Spirituali.

Natura & Scopus.

I. Per hanc Collationem ea maximè intelligitur, quæ cum ipso Directore instituitur, & non levem spondet utilitatem, si rectè instituat.

II. Geminus autem eidem Scopus præfixus esse debet. Prior est, ut DEI voluntati, qui per homines hominem dirigere decrevit, voluntati obtemperetur. Hinc & S. Paulo Act. 9. clamanti: *Domine, quid me vis facere?* responsum est: *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Posterior est, ut, dum non suæ duntaxat prudentiæ innititur, sed alienum etiam consilium requirit, tantò securiùs in periculoso salutis promovendæ itinere procedat, tutiorque sit à Dæmonis infesti insidiis. Nam, ut Sapienter S. Ignatius reg. 10. de discern. Spirit. advertit, Inimicus noster morem nequissimi cujusdam Amatoris imitatur, qui puellam honestorum Parentum Filiam, vel uxorem alicujus probi viri volens seducere, summo opere procurat, ut verba & consilia sua occulta maneant, nihilque reformidat magis, quàm ne Puella Patri, vel Uxor Marito eadem consilia patefaciat, sciens hoc pacto de votis & conatibus suis actum esse. Ad eundem modum obnixè satagit Diabolus, ut animam, quam circumvenire cupit, ac perdere, fraudulentis suas suggestiones tenere secretas persuadeat: indignatur verò maximè, & gravissimè cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel Spirituali homini molimina sua deregantur, à quibus ita se funditus excidere intelligit.

Æstima-



## Æstimatio.

Cum juxta Salomonem Prov. 11. *Salus sit, tibi multa sunt consilia*, facile apparet, quanti facienda sit ista cum Directore & Patre Spirituali frequenter suscepta Collatio. Si enim is, qui iter magni momenti suscepturus, viam ignorat, meritò perbeatum se putat, si fidem, viamque perbene gnarum Ducem assequatur, eumque proin intrepidè, & magna cum fiducia sequitur, quanto magis in hac nostra ad Patriam cœlestem peregrinatione, tot tantisque erroribus & periculis exposita, & ex cujus felici successu æterna nostra felicitas deperdet, sibi non fidere; Sed de perito Duce sibi prospicere, eique ducendum & regendum penitus committere quisque debet.

## Praxis.

I. Constitit hæc praxis in sequentibus præcipuè capitibus. Primum est, ut fideliter aperiat Meditationum, aliorumque Spiritualium Exercitiorum successum, ut, si fortè opus sit, remedia præscribere queat Director ad reliquas Meditationes feliciter peragendas, & contra fraudes occultas Deum solidius cum armare possit.

II. Secundum est, ut non minùs sincerè illi explicet peiora impedimenta: quæ ipsum à perfectione sui status consequenda hactenus impediverunt, ut viam & Modum ei Director præscribere possit ad illa fortiter removenda; cum illi hoc potissimum ferè reformationis fructus consistat juxta notum illud: *Tantum proficies, quantum tibi sem intuleris*.

III. Tertium est, ut pari candore & fiducia illi communiquec omnia dubia, quæ sive circa electionem status, sive circa vitæ reformationem, sive circa quotidianas suas functiones ac ministeria, aut alias similes materias ad animi salutem ac pacem pertinentes occurrunt, atque eorundem solutionem ab ipso non aliter, ac divino Oraculo expectent atque accipiant, certò confidens, non permissurum fidelissimum DEUM, ut, qui cum tanta humilitate, fiduciaque Deum sibi DEI loco assignatum consulit, & sequitur, ab eo ipse in errorem inducatur; aut certè si quid simile ex arcano suo consilio accidere sinat, ne damnum illi ex hoc errore proveniat, sapientissimam suam providentiã cauturum.

MEM

## MEMBRUM X.

## De Electione.

## Natura &amp; Scopus.

I. Hanc meritò omnium actionum, quæ in Exercitijs suscipi solent, difficillimam vocat Directorium cap. 22. cò quòd hoc tempore Exercitans præcipuè expositus sit diversis animi motibus, & non raro etiam erroribus, cum non solum à malo, sed etiam boni & recti imagine falli soleant Homines. Unde major in hac, quàm alijs actionibus dexteritas & discretio est necessaria; quæ quidem ut obtineatur, ante omnia Scopus Electionis semper ob oculos habendus est, qui quidem non est alius, quàm voluntatis divinæ cognitio circa Statum vitæ vel eligendum vel ordinandum; cum enim DEVS omnes quidem homines salvos fieri cupiat, sed per diversas vias (ob quem finem diversos in Ecclesia Status & ordines constituit) nulla profectò securior censeretur, quàm ea, quæ ipse quem vis ducere decrevit, ut qui solus scit, quid unicuique maximè expediat ad salutem.

II. Atque ex hoc Scopo colligitur I. Rectè à S. Ignatio in Exercitiorum libello triplex tempus pro Electione assignatum fuisse; quorum primum est, cum adeò clarè constat de voluntate DEI, ut ne dubitari quidem prudenter de illa queat; quo modo voluntas DEI S. Paulo alijsque Apostolis innotuit. Secundum est, cum animus inspirationibus & motionibus internis tam efficacibus agitur, ut sine ullo discursu intellectus, aut ferè nullo ad servitum DEI & perfectionem inclinetur. Et tum certum est hanc vocationem à DEO esse, maximè si sequentia indicia accedant, & ejusmodi instinctus diu sentiantur: si potissimum inter orandum & agendum cum DEO advertantur: si nunquam nisi ad bonum moveant: si, dum animus ad talem Statum suscipiendum se offert, serenus & quietus existat; turberetur verò, si propositum remittat: Si vires sibi & constantiam adversus omnes difficultates, Dæmonisque impugnationes saperandas promitti quis sentiat. Tertium tempus est, cum voluntas ab intellectu rationes pro utraque parte ponderante ad alteram partem eligendam impellitur. De quibus tribus temporibus

*Instr. VIII.*

C

bus

bus hæc duo insuper ex Directorio notanda sunt. 1. Vocari hos modos electionis *Tempora*, eò quòd, cum anima talis motiones in se sentit, quales paulò antè indicatæ sunt, tunc opportunissimum tempus electioni esse censeatur. 2. Quòd cum in secundo tempore voluntas immediatè à DEO moveatur, non expediat ratiocinium intellectus desuper adhiberi, quia tunc à meliori principio, quàm sit humana ratio movetur. Secùs foret, si in simili impulsu non planè acquiesceret, aut minùs certa sibi de divina voluntate videretur tunc enim meritò ad tertium Electionis tempus procedendum foret.

III. Colligitur 2. Ut hæc electio fructuosè peragatur magnam in eo, qui dirigit Eligentem, Indifferentiam, Prudentiam, & Vigilantiam requiri. Indifferentiam quidem non conetur ad unam magis, quàm alteram partem trahere sed solum DEVM cum sua Creatura agere sinat; cum enim hæc electio sit summi momenti, securùmque reddere debet eligentem de voluntate DEI, satis patet, quòd non humani persuasione, sed in sola directione divina fundari debet; alioqui metuendum meritò foret, ne impleretur, quod Christus Matt. 15. prædixit: *Omnis plantatio, quæ non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Prudentia verò requiritur, ut diligenter ad motiones varias eligentis attendat, Spiritus maligni suggestiones à bonis & divinis inspirationibus prudenter discernat, quem in finem regulæ de discernendis Spiritibus à S. Ignatio conscriptæ non parum juvabunt. Vigilantia denique exigitur, ut errores, affectiones atque inclinationes inordinatas, fraudesque ac paralogismos Dæmonis diligenter provideat, detegatque, quoniam ex falsis principijs, quæ amor proprius, & malignus Spiritus suggerunt, non nisi falsa conclusiones sequi possunt.

IV. Colligitur 3. Etiam in ipso eligente, cujus negotium agitur, meritò aliquas dispositiones prævias ad electionem ritè faciendam requiri, nempe 1. Ut capax sit electio id est, neque Statum jam determinatum habeat, nec levi inconstanti naturâ, passionibusque indomitis, aut malis, & corrigibilibusque habitibus sit præditus. 2. Ut ipse ad ea inclinari se sentiat à DEO, atque ideo ad illam ab Instruttore desideret, & petat admitti; abique hac enim dispositio-

omnia suspicionibus & fraudibus obnoxia, nec solidus ex electione fructus sperandus est. 3. Ut ab omni ad alterutram electionis partem propensione liber, atque ad solum DEI beneplacitum paratus sit; imò, quantum est in se, voluntatem potius ad id, quod perfectius est, inclinare conetur, si major DEI gloria id requirere videatur. 4. Ut totis viribus applicet se huic negotio, omnésque alias distractionum occasiones aut impedimenta, quæ bonam electionem impedire possent, fortiter removeat. 5. Ut sincerè agat cum DEO, neque ullas in deliberatione rationes, quæ carnem & sanguinem sapiant, admittat, sed solum DEI beneplacitum, gloriámque semper præ oculis habeat; sic enim meritò sperare poterit, quòd DEVS illum decipi non permissurus, sed suam voluntatem utpote tam sollicitè & ordinatè inquisitam certò sit revelaturus. Ne tamen circa hanc ultimam dispositionem cuiquam scrupulus occurrat, si fortè etiam consolationis propriæ, aut valetudinis, aut quietis spiritualis, aut alterius similis rei ex natura sua voluntati DEI non repugnantis motivo impelli se sentiat, rectè notat Directorium cap. 23. nihil obesse ea legitimæ electioni, modò præcipuum motivum sit amor & beneplacitum DEI, & alia non nisi ut secundaria, minúsque principalia admittantur.

#### Æstimatio.

Hanc non difficulter concipies, si memorabilem S. Gregorij Nazianz. orat. 23. sententiam revolveris dicentis: *Electiorem vitæ fundamentum pono, ex quo bene aut malè nobiscum agatur.* Si ergo ædificium ruinæ exponit, qui illi fundando curam non adhibet, certè neque salutis suæ satis consulit, qui ejus fundamentum temerè collocat. Unde quidam ad electionem ritè instituendam sequentibus, & valde notandis verbis hortatur: *Æternitas à morte pendet, mors à vita, vita à momento, momentum ab electione; ergo elige bene; semel perijisse æternum est.*

#### Praxis.

I. Hæc in triplicis potissimùm generis industriis consistit, quarum aliqua antecedunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur actualem electionem.

¶ 2

II. Et

II. Et ante quidē electionē duo præcipuè præstanda sunt.  
 1. Ut per prævias meditationes, maximè de duobus vexillis  
 & tribus Hominū classibus disponatur paulatim animus eligē-  
 tīs, ut nō modò sit æquè paratus ad paupertatē, igitā omniū  
 & brevitatē vitæ quàm divitias, honores & longitudinē vitæ  
 eligendam, sic major DEI gloria id requirat, sed insuper pe-  
 tat à DEO, ut potius ipsum inclinet in perfectiorem partem,  
 imò & ipse hoc obtinere à se studeat, ut hac ratione, quem  
 admodum virga incurva, si flectatur in contrariam partem  
 faciliùs in mediò consistit, rectaque efficitur, ita ipse quoque  
 ad necessariam pro hoc electionis negotio indifferentiam  
 faciliùs perveniat. 2. Ut pro præludio electionis ob oca-  
 los ponatur finis, propter quem homo creatus est, scilicet  
 laus DEI & propria salus, atque ad hunc finem veluti cyno-  
 suram omnia, quæ in deliberationem veniunt, irrefragabilis  
 decreto dirigantur, & ordinentur.

III. In ipsa electione tria præcipuè præstanda sunt.  
 Ut in medium res, quæ pro deliberatione suscepta est, pro-  
 feratur. 2. Ut imploretur DEI clementia, ut voluntatem  
 suam manifestare, nostram verò ad id, quod suæ gloriæ,  
 nostræ saluti magis proficuum esse cognoverit, impellere di-  
 gnetur. 3. Ut proposito consiliorum & mandatorum statum  
 observetur, qui motus in anima sentiantur; & si quidem ad  
 mus etiam sine discursu intellectus ad certum quempiam Sta-  
 tum impelli se sentiat, consolationesque experiatur, nec ulli  
 aut certè non nisi levis de voluntate DEI dubitatio suboriat  
 tur, concludatur electio absque ulteriori ratiocinio. Sin  
 nus ad tertium electionis tempus progressus fiat, & de propo-  
 sitis Statibus per sequentes aut similes quæstiones electio in-  
 stituatur. Quis horum Statuum certius & commodius ad  
 nem meum ultimum ducit? ubi rarior lapsuum, crebrius  
 virtutum exercendarum occasio? quis naturæ propriæ con-  
 venientior, talentisque corporis & animi fructuosè imper-  
 dendis aptior? quem imminente morte aut judicio elegi  
 malle? quem alteri mihi simili, & summè dilecto suade-  
 rem? quis Christi, & Sanctorum vitæ conformior? ubi DEI  
 me perfectius tot titulis debitum consecrabo? His discuti-  
 quæ pro alterutra parte motiva occurrerint, scripto annoten-  
 tentur, & pro qua plura motiva, efficacioraque occurrerint

int, ea demum velut divinæ voluntati conformior eligatur.

IV. Post electionem denique duo præstanda sunt. 1. Oratio subjungenda, quæ DEO electio offeratur, & si quidem juxta ipsius voluntatem fuerit, confirmanda commendetur. Quo tempore si vel novas illustrationes ad confirmationem desuper immittas, vel certè voluntatem in electionis proposito firmam eligens adverterit, non est electio in dubium revocanda, sed credendum voluisse DEVM, voluntatem suam per discursum rationis inveniri. 2. Pro majori securitate rationes pro electo Statu conscriptæ etiam Directori ostendendæ sunt, & ejus quoque super electione judicium requirendum. 3. Videndum, quo modo vocatio executioni mandari queat; uti diligenter, quæ executionem impedire aut remorari possent, inquirenda, mediâque, quibus ejusmodi impedimenta removeri queant, cum consilio Directoris excogitanda erunt.

V. Quòd si error in electione quispiam adverteretur, nec statim mutare liceret, saltem conandum foret, ut post facti præventiam, damnum electionis probitate vitæ, & operum solertiâ compensetur; præcipuè verò Orationis remedium adhibeatur, si quis v. g. ad incontinentiam pronum se adverteret, & tamen Statum immutabilem ad continentiam servandam obligatû elegisse se adverteret; neque enim ijs, qui alium Statum, quàm ipse volebat, elegerunt, omnia media adeò subtrahit, quin veniam dare paratus sit, perseverantiâque in gratia perinde ac alijs peccatoribus graviter lapsis, licet negari non possit, difficiliorem hoc modo fore Salvationem, eò quòd præviderit DEVS pericula Salutis amittendæ, atque ideo per vocationem ad certum Statum eosdem è talibus periculis eripere voluerit.

#### §. IV.

#### De Causa efficiente Exercitiorum.

Per Causam efficientem hoc loco intelliguntur præcipuè Causæ Instrumentales, quæ præter DEVM (de quo hîc nihil speciatim monendum occurrit) cooperantur Exercitanti, eamque juvant in optato ex Exercitijs hisce Spiritualibus

fructu referendo, quales sunt Director, Minister, & Collocatores, à quibus, quid specialiter observandum sit, paulò distinctius in hoc paragrapho indicabitur.

## MEMBRUM I.

## De Directore.

I. Ad hunc quinque potissimum dotes requiruntur. Quarum prima est, ut sit *humilis & subjectus DEO*, cujus est instrumentum. Caveat proinde, ne, cum aliquem bonum effectum viderit in ijs, qui se exercent, quidquam suæ industriae aut peritiæ tribuat, cum hi omnes effectus gratiæ sint solo DEO, & consilia extrinsecus adhibita tantum operentur, quantum ipse DEVS cooperatur. Hinc nec de suo quidem apponat, sed, cum, ejusmodi consilia debeant ex divina inspiratione suscipi, sinat DEVM cum sua creatura disponere, juxta placitum voluntatis suæ. Quod ut melius & facilius opere ipso præstet, conservet se in animo prorsus indifferentem, & in nihil aliud feratur, nisi ut sanctissimum DEI beneplacitum in anima illa plenè & perfectè compleatur, & ipse tantum in eo laborer, ut, qui se exercet, id investigare sciat, & discat se à Dæmonis deceptionibus expedire, quibus homines retardare solet.

II. Altera dos est, ut magnâ *discretione & prudentiâ* sit præditus, quâ nôrit Spiritus & motiones ejus, quem exercet, dignoscere; sed & qualitates illius & Statum penetrare, & cum quovis secundum illius capacitatem agere.

III. Tertia dos est, ut magna etiam apud eum, qui exercetur, *authoritate*, polleat, tantâque cum libertate sive in docendo, sive monendo, sive corrigendo officium suum exequatur, ut ad exemplum Christi quasi potestatem habens loqui videatur. Ad quam quidem authoritatem non modicè juvabit, si parcus potius, & consideratus in sermone, quam garrulus & profusus esse deprehendatur.

IV. Quarta dos est, ut *suavitatem* potius & *mansuetudinem*, quam authoritatem semper præferat, maximè cum ijs, qui tentationes vel desolationes, aut ariditates & tædium patiuntur, quos proinde consolari, animare & erigere opportunis consilijs, precibusque tum suis, tum aliorum debet.

Ne enim gratus fiet eis, qui faciunt Exercitia, istique se magis ei confident & aperient.

V. Quinta denique dos est, ut magnam in Exercitijs tradendis *Peritiam & Dexteritatem* habeat, cumque in finem tum ipse antè, quàm ea tradat, aliquoties ea obierit; tum accuratè ea, quæ in libro Exercitiorum proponuntur, perlegerit; tum etiam aliquibus, in quibus sit minor iactura, si erretur, tradiderit, suumque modum procedendi, cum aliquo magis exercitato contulerit, ut, quid magis minùsve convenire deprehenderit, annotare queat.

VI. Porro tota hæc peritia & dexteritas in tribus ferè officijs consistit, quorum primum est *Solida instructio* circa naturam Exercitiorum, & modum eadem cum fructu faciendi, variâsq; industrias & doctrinas, quæ, ante, in, & post Exercitia observentur, suggerendas, quales tum in ipso Libello Exercitiorum, tum passim in Authoribus, qui simili de materia scripserunt, reperire est.

VII. Secundum officium Peritiæ est *Præscriptio prudens materia* pro Meditationibus & Considerationibus, circa quam duo præcipuè sunt observanda. 1. Ut in proponendis punctis Meditationum ea non valde exaggeret, aut ita enucleet, ut, qui meditatur, ipse nihil novi per se invenire, aut certè non nisi ægrè queat, experientia quippe docet, magis omnes delectari, & moveri ijs, quæ per se inveniunt; & ideo satis erit, quasi digito indicare venam, quam deinde quisque sibi inveniat. Si tamen essent aliqui parùm capaces, aut minùs in meditando exercitati, ijs possent paulò amplius declarari, & Scripto offerri, ne memoria Exercitantis nimium fatigaretur, sicque devotio impediatur. 2. Ut, quandoquidem variæ sunt Personæ, quæ exercentur, noverit etiam varias illis pro singularum Scopis & qualitate materias præscribere. Nam *Religiosis* quidem producenda est in primis prima hebdomas, si priùs usum Meditandi non habuerunt, aut vitam duxerunt libertiorem. Alioqui confirmantur in sua vocatione: inducantur ad magnificiendas & observandas Ordinis Regulas, præsertim in materia votorum; juvenitur, ut intelligant causas minoris profectus sui; ingenereatur Zelus juvandi Proximos juxta suum Institutum: applicentur illis bene Meditationes ex Libello, & mixtim aliæ



secundum Institutum. *Ecclesiasticis Saeularibus* produca-  
tur prima hebdomas in tertium & quartum diem: detur ope-  
ra, ut bene cognoscant difficultatem sui Statûs, cum tenean-  
tur se à Mundo avocare, utpote divino Ministerio deputati:  
discant bene proventus Ecclesiasticos dispensare, & Zelum  
animarum concipiant. *Lasci nobiliores* erudiantur, ut Jus-  
titiam bene administrent: ut avaritiam & Superbiam fugi-  
ant: ut misericordes ac DEI timentes sint: ut Liberos bene  
educant: ut pacifici, & in participatione Sacramentorum fru-  
quentes sint: si in re quapiam gravi hæreant, regulæ electio-  
num adhibeantur. *Rudioribus Lascis* sufficiet prima hebdo-  
mas: expositio mandatorum DEI atque Ecclesiæ, peccata  
mortalia, quinque sensus, & opera misericordiæ: ut Sacra-  
menta frequentent; bene regant Familiam; facultatibus  
justè & sobriè fruantur. *Mulieribus* fermè eadem tradenda  
quæ rudibus; nec facile adeantur earum domus, sed ipsæ pe-  
titiùs accedant Ecclesiam pro accipiendis Exercitijs.

VIII. Tertium officium est *Conversatio fructuosa* cum  
Exercitante, ad quam pertinet, ut cum quotidie semel saltem  
( nisi necessitas aliud exigat, aut utilitas suadeat ) opportuno  
tempore visitet: ut rationem Meditationis & internarum  
motionum, puta Consolationum vel desolationum sollicitè  
exigat: in desolationibus & ariditatibus animer, & viam  
tunc ad faciorem in Meditatione discursum aperiat: tum me-  
dia pro ariditate tollenda & devotione recuperanda pro-  
denter ostendat: in consolationibus non diu ipsum detineat  
sed breviter modum ex ijs proficiendi edoceat, & de reliquo  
Creatorem cum sua Creatura, & hanc vicissim cum illo pro-  
libitu agere sinat: ut electionis, si ea facienda sit, aptum  
modum suggerat, & in dubijs opportuna consilia submini-  
stret: ut pro Curatione vitiorum efficacia media præscribat:  
ut salutaria ad vitam vocationi & Statui suscepto & suscipi-  
endo conformem instituendam præcepta offerat.

## M E M B R U M II.

### De Ministro.

I. Ad hunc tria requirit Directorium c.4.n.3. & sequen-  
tibus. 1. Ut sit fidelis, discretus, taciturnus, quique suo  
mode

modestiâ, & humilitatis ac devotionis exemplo ædificet. Nihil autem loquatur, nisi de ijs, quæ ministerium pertinent, idque paucissimis verbis. Aliquando profuit huic Ministerio illum deputare, qui notus ac familiaris fuit Exercitanti; hoc enim juvat non solum ad consolationem, sed etiam ad profectum Spiritualem, quoniam aliqui interdum confidentiùs se aperiunt Amicis hujusmodi, quàm ipsi Instrutori, si cum nunquam antea nôrant.

II. Secundò requirit, ut sit Instrumentum Directoris, eúmque de omnibus, quæ circa Exercitantem aguntur, & ipsam Directorem nôsse debere prudenter judicaverit, certio-rem faciat.

III. Tertiò requirit, ut ipsi Exercitanti inserviat, componendo lectum, cubiculum verrendo ( quæ duo ferè tempore Missæ exequetur ) victum, aliâque, quæ opus erit, munda & apta offerendo, magnâque semper charitatem, & diligentiam præferendo; atque inter alia meminerit, etiam pro ipso quotidie orare.

M E M B R U M I I I.

*De Collocutoribus.*

Ad hos duo requirit citatum Directorium c. 6. n. 3. Primò, ut sint maturi & discreti, qui Exercitantem tam exemplo, quàm sermone ædificare, & honesto utilisque colloquio recreare in Domino queant. 2. Ut nullum cum Exercitante nisi utilem, & quidem de Spiritualibus rebus sermonem instituant, nullâ tamen significatione, quòd cum ad hunc vel illum Statum impellere velint. Nam præterquam quòd vocatio debeat esse libera, & à DEO venire, ipsi etiam, qui in hac deliberatione versantur, si id intelligant, vel suspicentur, eò magis retrahi solent, & contrà, ut experientia sæpe ostendit, eò magis incitari, cum in Directore, Collocutori- busque nullam cupiditatem talem animadvertunt.

M E M B R U M I V.

*De Loco.*

Etiam hic, cum aliquo modo serviat ad Exercitia melius faciendâ, inter causas Instrumentales latiori in sensu numerari

rari potest, maximè si talis sit, qualem S. Ignatius requirit secretus scilicet, & ab omni concursu & aspectu hominum Familiarium præcipuè, remotus, unde tamen ipsi liberum securumque sit ad Sacrificium Missæ aut alia divina Officia audienda egredi. Ex tali enim secessione tres præcipuas utilitates hauriri, idem S. Pater annot. 20. affirmat. 1. Quòd exclusis Amicis & negotijs minùs rectè ordinatis ad DEI cultum, gratiam apud DEVM majorem mereatur. 2. Quòd mens magis collecta, & ad solam DEI obsequium, salutisque propriæ negotium expediendum multò magis expedita maneat. 3. Quòd, quantò magis se homo segregat à Mundo, tantò propius ad DEVM accedat, capaciòrque fiat ad bonitatibus divinæ dona suscipienda.

## CAPUT II.

DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM  
SPIRITUALIVM.

Duplici modo potest cognosci præstantia alicujus rei: intrinsecis scilicet perfectionibus seu prædicatis; & extrinsecis testimonijs: ex utroque autem hoc titulo singularem Exercitijs Spiritualibus excellentiam convenire ex sequentibus patebit.

## TITULUS I.

## DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM EX INTRINSECIS PRÆDICATIS.

Innumera quidem prædicata enumerari possent ad dignam de Exercitijs Spiritualibus æstimationem ingenerandam, sed pleraque meritò ad tria revocari possunt, ad necessitatem scilicet, utilitatem, & jucunditatem eorundem; hæc enim quantò majora in illis reperiri demonstrabitur, tantò major quoque de illis æstimatio concipietur.

## §. I.

## De Necessitate Exercitiorum Spiritualium.

Tria plerumque capita Homini cuique necessaria existimantur, ut finem, ad quem à DEO conditus est, felicitatem consequatur.

consequi queat. Primum est *Cognitio sui*, quæ in eo consistit, ut & finem, propter quem creatus est; & media, quæ ab eodem ad finem hunc consequendum oblata sunt, bene cognoscat, & quæ passiones vel inclinationes ipsum à fine hoc consequendo abducere moliantur, aut per quæ peccata fortè omnino recesserit, clarè intelligat. Quæ quidem *Cognitio sui* quantopere necessaria sit cuivis Homini sapienter more suo ostendit S. Bernardus c. 3. de consid. dicens; *Noveris licet omnia mysteria, noveris sata terra, alta cæli, profunda maris; site nescias, eris similis adificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est; Sapiens sibi sapiens erit, & bibet de fonte putei sui primus ipse.* Unde meritò alibi Personam DEI introducens sic loquitur: *O Homo, si te videres, tibi displicereres, & mihi placeres: sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices. Veniet tempus, cum nec mihi, nec tibi placebis; mihi, quia peccasti; tibi, quia ardebis.* Causam verò hujus necessitatis pulchrè ostendit Hugo l. 3. de anim. c. 6. dum supponens felicitatem & perfectionem Hominis in cognitione & amore DEI consistere, asserit ad hanc DEI cognitionem sine cognitione sui neminem posse pervenire; *frustra enim, inquit, cordis Oculum erigit ad videndum DEVM, qui novum idoneus est ad videndum seipsum. Prius enim est, ut cognoscas invisibilia Spiritus tui, quam possis esse idoneus ad cognoscendum invisibilia DEI. Et si non potes cognoscere te, non presumas apprehendere ea, quæ sunt supra te. Præcipuum & principale Speculum est ad videndum DEVM animus rationalis intuens seipsum.* Hinc meritò Ascetæ potissimam humanarum imperfectionum causam defectum considerationis esse contendunt, uti jam olim DEVS ipse per Prophetam Jeremiam c. 17. indicavit dicens: *Desolatione desolata est terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Et iterum per Isaiam c. 5. *Propterea captivus ductus est Populus meus, quia non habuit scientiam, quia Opus Domini non respexit, opera manuum eius non consideravit. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque termino.* Nimirum Philisthæos imitatur Diabolus, qui Samsoni victo ante omnia oculos eruerunt, ut

robur

robur suum ob cæcitatem exercere non posset. Jam verò hanc sui cognitionem obtinendam optimum esse medium Exercitiorum Spiritualium sedulum usum, vel ex ipsa eundem Natura, actionibusque susceptis patet; ut enim aquis aut Speculo nemo imaginem suam videt, quando turbata aut obfoscata sunt; Secus verò si pura & limpida essent; ita animus quoque Hominis nunquam ad se cognoscendum magis idoneus est, quàm cum per secessum à negotiis & hominibus mentem liberam & tranquillam reddidit. Accedit quòd per ipsam etiam frequentiore conversatione cum Deo & Christo, qui est lux vera illuminans omnem Hominem, tantopius Lumen hauriatur ad perfectam sui cognitionem obtinendam, præ reliquis expertus est Rodericus Meneſius qui, cum Exercitiis Spiritualibus vacasset, terribilia se huiusmodi Spectra vidisse affirmabat; cumque rumor hic ad ipsius Regis aures pervenisset, ideòque iussus esset Rodericus egerere, qualia fuissent Spectra, quæ in sacra sua solitudine spectasset, respondit is, seipsum se, suaque peccata, maleque domitas passiones, quibus nulla magis horrenda Spectra intervenire possent, clarissimè fuisse intuitum.

Alterum ad Finem ultimum consequendum medium est *Status*, ad quem quisque à Sapientissima DEI Providentia vocatus est *Electio*; cum enim Adolescentiæ maxima in se imbecillitas consilii, plerumque id sibi quisque genus ætatis legendæ constituit, quod maximè ad amantem vitæ, adeòque impletur certo aliquo genere, cursuque vivendi antè, quam potuit, quid optimum sit, iudicare; unde cum S. Ignatius ex una parte perspiceret, quanti esset momenti certum aliquid quod vitæ genus maturo sibi consilio designare, ne infeliciter de eo deliberaretur, quod semel tantum statuendum est & in quo summa maximi omnium discriminis vertitur; et altera verò parte adverteret, ex vulgi iudicio vitam pleròque instituisse, atque adeò, dum posteriores quasi per caliginem vestigia priorum premunt, à recto cursu aberrare, merito solertem adhibuit curam, ut quisque sic de vitæ summo constitueret, quemadmodum DEUM velle, sibi que summo expedire iudicaverit; quem in finem hæc Exercitia maxime censebat idonea, utpote in quibus & animus à noxis, que luminis divini illapsum impedire possent, purgatur: & ab

omni inclinatione quæ in unam potius, quàm aliàm partem inclinet; exiit: & idonea auxilia ad opus tanti momenti cum optato successu peragendum, per crebriorem orationem impetrantur, ut, quemadmodum os Domini interrogatum est antè, quàm certum vitæ genus electum est, ita responsum quoque ab eo salutare accipiat, & de salute sua spem bonam concipere queat, utpote qui eorum sit de numero, de quibus Christus Jo. 10. dixit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.*

Tertium Medium ad finem ultimum consequendum est *Reformatio Statûs*; eùm enim Anima nostra ad imaginem DEI creata sit, facilè contingit, ut pulvere variarum Imperfectionum & Criminum fœdata, priorem pulchritudinem amittat, atque ad eò renovatione indigeat; hinc Apostolus tam sollicitè monet Ephesios c. 4. ut secundum pristinam conversationem deponant veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, renovatur autem Spiritu mentis suæ, & induant novum Hominem, qui secundùm DEUM in justitia creatus est, & sanctitate veritatis. Ad hanc autem morum, vitæque reformationem aptissimum esse instrumentum Sacra, de quibus hic sermo est, Exercitia, testes sunt; inquit Author Imaginis Societatis, infiniti toto Orbe, qui ea non minori sua voluptate, quàm fructu sunt experti. Sed unus sit instar omnium Augustinus Carvajalius Augustiniani Ordinis Theologus, qui cum Bononiam à Pontifice missus esset ad D. Jacobum Cænobium in veterem disciplinam restituendam, non aliis id præfidiis facere aggressus est, quàm piis his Societatis comentationibus, quibus ipse cum per mensem se exercuisset, candidè testatus est, se, quamdiu in Religione vixisset, rationem aliquam, quâ rectè incederet, semper optasse, eamque nunc demum, cum in hæc S. Ignatii exercitia incidisset, invenisse. Quæ quidem ille avidissimè hausta, atque in intimum demissa pectus tanti fecit, ut in iis verè divinum aliquid inesse apertè diceret, eaque deinceps in alios tantò libentius derivavit, quanto dtutius quæsit, ipse, & seriùs invenit.

## §. II.

De Utilitate Exercitiorum Spiritua-  
lium.

I. Utilitatem horum Exercitiorum si accuratius perpendam, equidem non immeritò comparari posse videtur lignæ vitæ ( de quo S. Joannes c. 22. Apoc. meminit ) plantæ juxta fluvium aquæ vitæ ( per quam Gratia divina rectè intelligitur ) & fructus duodecim afferenti ; totidem enim ipsa primarios fructus afferunt, quorum quatuor ad viam Purgativam, totidem ad Illuminativam, & totidem denique ad unitivam spectant, uti ex eorum brevi enarratione patebit.

## Primus Fructus.

*Temporis fructuosa collocatio.*

Primus ergo Fructus ad viam Purgativam pertinet & *Temporis*, quod his Exercitiis impendi solet, *fructuosa collocatio* : constat quippe quotidianâ experientiâ, eos qui Sacræ huic Asceti vacant, si unquam aliàs, hoc tempore maximè à Peccatis & Imperfectionibus, quibus alioquin obnoxij esse consueverunt, sollicitè abstinere, omnèsque actiones ad hunc finem præscribi solitas eo cum fervore, diligentia, atque perfectione peragere, ut sæpe vix materiam pro Confessione Sacramentali inveniant. Qui quidem Fructus quanti æstimandus sit, vel ex ipsius S. Ignatii testimonio patet; si enim iste, dum objicerent aliqui, frustaneos esse sumptus & laborem, qui ab ipso in ædificanda pro Meretricibus conversis domo sunt impensi, eò quòd ejusmodi Mulieres mox iterum ad vomitum revertantur; Sapienter respondit, si una ex ejusmodi Mulieribus vel unica nocte consueto fornicationis crimine abstineat, sat bene sibi totum, quem pro Domo hac extruenda assumpserat, laborem collocatum videri; quantò magis censerì bene impensum debet totum Octiduum, aut longius interdum tempus, quod Asceti Sacræ impenditur, & intra quod à tot peccatis & imperfectionibus abstinetur.

Secun-

## Secundus Fructus.

## Peccatorum conversio.

Secundus Fructus est *Peccatorum conversio* : qui fructus si ex ulla alia actione, ex hoc secessu merito sperari potest, utpote in quo omnia media ad ejusmodi conversionem proficua adhibentur ; hinc enim Finis imprimis, ad quem Homo, ceteræque Creaturæ conditi sunt, ob oculos ponitur, & quam turpe atque indignum sit, ab eodem aberrare, ostenditur ; hinc pessimi peccati fructus, ex Angelorum, Primorum Parentum, aliorumque Hominum Sceleratorum pœna ob oculos ponuntur : hinc mortis, judicii, atque Inferni horror, acerbitasque perpendenda traditur : hinc radix commissorum peccatorum inquiritur, atque efficacia ad eandem exciendam remedia offeruntur : hinc acerbissimi Christi servatoris Cruciatu, Injuriam, & probrosa mors menti objicitur, & ex amaritudine remedii morborum gravitas demonstratur ; ut adeo mirum non sit, tam admirandas nunquam Conversiones in his Exercitiis Spiritualibus contigisse. Sic enim in Imagine Societatis l. 3. refertur, Sacerdotem quemdam Scenicum, publicum Populi Offendiculum, cum in Sacram hanc Solitudinem sese recepisset, ita repente mutatum esse, ut injecto cervicibus fune, in suggestum ascenderit, & à frequentissima multitudo veniam petierit levitatis suæ, idque tam ardentem, ut ipsi Populo lacrymas excusserit, cui prius risus & cachinnos movere solitus erat : Sed & de Messanensi quodam Adolescente ibidem narratur, quod cum nec durissima quidem inter Mancipiorum fœces servitus eundem flectere potuisset, his Exercitiis præsidii adeo emollitus sit, ut depositâ ferocia summè tractabilem se præbuerit, omnibusque Domesticis admirationi fuerit. Præ cæteris tamen memorabile est, quod in parvo libello, *Sacra Tempe* vocato, c. 2. de Equitis cujusdam scelerati conversione memoratur ; qui, cum alios commilitones per unius diei secessum ad confictum, & si opus fuerit, mortem piè obeundam præparare se advertisset, irridere primùm hanc pietatem, post tamen importunis Amicorum & Sociorum precibus persuasus, etiam ipse suscipere, sed curiositatis potius, quam devotionis gratiâ est ausus ;

verùm



verum vix unam, alteramve Meditationem peregerat, cum adeo se immutatum, tantoque DEI timore, & vitæ emendandæ desiderio correptum sensit, ut deinceps Speculum erit virtutis, qui offendiculum fuerat, multosque suo exemplo ad eundem solitudinem uno saltem die frequentanda incitavit.

### Tertius Fructus.

#### Confessionis integritas.

Tertius fructus est *Confessionis* singulari cum dolore, & latiusque institutæ *integritas*: nam, ut testè advertit P. Petrus Manrique in citato libello Sacrorum Tempe exempl. 17. 3. Multum differunt inter se Confessio quietè, attentèque (ut in Exercitiis fieri solet) instituta; & ea, quæ inter occupationes suscipitur; qui enim soli DEO, suoque Magistro vacat tempus habet sufficiens & rationes cognoscendi peccati, & commentationes idoneas scelerati ejus aperiendæ, & que adeo est benè comparatus ad justum dolorem adipiscendum, & inde ad mirabiles Sacramenti, sanguinisque Christi, qui illic impertitur, fructus percipiendos; quibus auxiliis, cum plerumque careant ij, qui extra hanc sacrosolitudinem Confessionem peragunt, haud facilè quoque virtutem hujus Sacramenti tam copiosè experiuntur. Enim verò priores similes sunt Reo criminum ante Judicem constituto ubi ex una parte Testes assistunt, patrata illius facta ex probantes; ex altera parte Exactor seu Fisco Præfectus gravitatem eorundem ostendens, ac veluti trutinam comminans, unde fieri non potest, ut Reus non cohoreat, & que peccavisse doleat; posteriores verò similes sunt Reo contra quem Testes sine Exactore, aut Exactor sine Testibus aut utriusque in loco tumultibus personante, vocisque iniquorum percipiatur acculatio, ubi hoc ipso, quod minus minor etiam dolor, & Erubescencia concipitur, id quod sequenti exemplo l. c. confirmat Manrique. Quidam, in qua confessioni de tota vita instituendæ se includendum dediderant, quem assidua distractiones & monstra imaginum male habebant, literis, ullive alteri rei vacare permittebant, omnino existimantem omnes Homines usdem infestari turbelibus, & deo

deòque neque remedia circumspicientem, neque conqui-  
rentem. Itaque peractâ homologeli in Exercitiis porro per-  
gens, vidensque consueta vanuisse phantasias, vicissim ani-  
mum esse pacatum, ac liberum, omniumque actionum com-  
potem, ita ut, quod liberet, sine turbatione faceret, legeret,  
studeret, oraret quietè, se ipse admiratus rem omnem Magi-  
stro enarravit, qui eum hortari & animare institit, gratèque  
DEO agere iussit, cum alia commemoraret exempla eorum,  
qui obita ritè in secessu confessione generali variis à DEO  
gatiis sunt donati, pars corporibus à variò malo liberatis,  
pars contra Scrupulos & importunas cogitationes armati,  
quemadmodum ipse & alij aliis molestiis ac vexationibus  
suo remedio exempti.

### Quartus Fructus.

#### *Pœnæ temporalis remissio.*

Quartus fructus est *Pœnæ temporalis peccatis debita re-  
missio*: ad quam obtinendam variè conducunt Exercitia; in-  
primis quidem quia ad perfectum dolorem de peccatis dis-  
ponunt, qui interdum adeò intensus esse solet, ut meritò  
sperari possit, de eo, qui eiusmodi dolorem elicit, illa Chri-  
sti verba ad S. Mariã Magdalenã olim dicta verificatum iri:  
*Remittuntur ei peccata multa* (etiam quoad ipsam pœnam,  
aut partem illius) *quoniam dilexit multum*. Deinde ve-  
rò etiam ad Pœnitentiã opera, (quæ Specialiter ad satisfac-  
tionem pro pœna peccatorum ordinata sunt) tum ipso  
Exercitiorum tempore, tum post finem illorum suscipienda  
non modicè incitat; & præterea ad variarum virtutum præ-  
stantissimos actus eliciendos tum in ipsis Meditationibus,  
tum extra illas creberrimam occasionem offert; & tandem  
quod præcipuum est, per plenariarum Indulgentiarum, quæ  
iis, qui octo aut decem diebus hæc Exercitia colunt, con-  
cessæ sunt impetrationem, omnem peccatis debitam pœnam  
relaxant, quæ quidem gratia tantò certius sperari  
potest, quantò iustior est causa, ob quam  
eiusmodi indulgentiæ sunt  
concessæ.

## Quintus Fructus.

*Virtutum studium & augmentum.*

Quintus fructus, & primus ex iis, qui ad viam illuminativam pertinent, est *Virtutum studium & augmentum*; quod promovendum duo perquam efficacia media & motiva in his exercitiis subministrantur; quorum primum est Christi exemplum; in cuius virtutibus & actionibus consideranda tota propemodum secunda & tertia hebdomas occupantur, unde Societas omnes, qui ab ea Exercitiis excoluntur, illius Apostoli Verbis ad Gal. 4. alloquitur: *Filioli mei, quousque in vobis parturio, donec formetur Christus in vobis.* Unde quemque verò Exercitantem illis S. Bonaventuræ verbis hanc imitationem incitat: *In omnibus virtutibus & moribus propone semper clarissimum Speculum, & totius Christianitatis Exemplar, scilicet virtutes & mores Filij DEI nostri IESU Christi, qui ad hoc nobis de celo missus, ut aperiret nobis viam virtutum, & legem disciplinae exemplo doceret, & erudiret nos per semetipsum, ut, ad imaginem ejus naturaliter creati sumus, ita ad imaginem ejus similitudinem per invitationem virtutis pro nostra similitudine reformemur. Quanto enim quisque se ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tanto ei in gloria & claritate appropinquabit, & similior erit. Scribe tibi in corde tuo mores & actus suos, ut in omnibus actibus & verbis tuis ad hunc quasi ad exemplar respicias, sedens, stans, sedens, comedens, tacens, solus, & cum aliis. Et ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis ejus gratiam assequeris, & in omni virtute perfectior eris. Et hac est sapientia & perfectio tua, & studium semper aliquid de eo cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel eum amandum afficiaris.* Alterum medium, quo virtutum augmentum promoveat Exercitia, est motivorum, quæ virtutis amorem alliciunt, seria meditatio & penetratio, præsertim pulchritudinis, honestatis, jucunditatis, utilitatis, & familiaritatis proprietatum, quæ virtuti conveniunt. Certè præcipua causa, cur tam pauci Homines virtutem serio sectentur, est exigua, quam de iis habent, existimatio, unde quædam

hant per accuratam supradictarum Proprietatum Medita-  
tionem in his Exercitiis sunt affecti, præponunt eam cum  
Salomone regnis & sedibus, & divitias nihil ducunt in com-  
paratione illius, scientes, quòd omnia bona veniant pari-  
ter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.  
Cujus quidem fructus percepti, ut infinita alia taceam, præ-  
clarum exemplum habemus in Maria Bonaventura Moniali  
Ordinis S. Benedicti in monasterio à S. Francisca Romana  
olim Romæ fundato, cum magna opinione sanctitatis an-  
no 1627. mortua; quæ, licet ab initio spiritualibus rebus pa-  
rùm addicta, ac virtutis minimè studiosa fuerit, postquam  
tamen à P. Nicolao Lancizio, qui in sexto Opusculo c. 22.  
fusè ipsius confessionem & vitam describit, ad Exercitia hæc  
facienda inducta est, repente adedò mutata est, ut inter alia  
Memorato Patti suo spirituali dixerit: *Pater non oportet  
amplius joculari cum DEO; agnovi, quid à me velit DEVS,  
quid nolit: Solo tota esse DEI, & totis viribus conari, ut ob  
majorem DEI gloriam sine ulla mora Sancta evadam, non  
qualicunque, sed magna, citò.* Nec minùs præstitit, quàm  
promisit, nam intra annum non integrum, quo supervixit, ad  
eum virtutis apicem, teste eodem P. Lancizio pervenit, ut  
sine ulla prævia consideratione & ponderatione causarum,  
ad virtutem impellentium, Sola simplici & instantanea ap-  
prehensione alicujus virtutis ad eandem exercendam repe-  
retur, eo ipso modo, quo S. Bernardus viros perfectos de-  
scribens Serm. 20. in Cant. ait: *Omne tanquam naturaliter,  
& malum respiciunt, & quod bonum est, amplectantur;*  
quemadmodum & de S. P. N. Ignatio Andreas Frusus, ut  
l. 16. n. 123. hist. Soc. refertur, dicere solebat, cælestem  
Christi gratiam in eo ingenitam ac naturalem videri, adedò  
constanter, ubique ac semper, adedòque facillè, modum, vir-  
tutemque servabat.

## Sextus Fructus.

*Meritorum incrementum.*

I. Pro sexto fructu meritorum multiplicatio & incremen-  
tum rectè assignatur, pro quo obtinendo varia iterum me-  
dia in Exercitiis Spiritualibus addiscuntur; & imprimis qui-

dem dum per novissimorum considerationem ostenditur quàm gravis & defenda sit jactura, quæ per negligentiam in meritis multiplicandis incurritur; quam multi adeò non sine grandi dolore & pudore illud Ecclesiastæ c. 2. sint olim dicturi: *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus mea, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi;* atque ideo ne gravior fiat hæc jactura & dolor, per seriam insipientiam præterita negligentia refarcitur, sicque saluberrimum Apostoli monitum ad Eph. 5. impletur: *Videte itaque, Fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

II. Alterum ad meritorum augmentum medium est virtutum studium & profectus: hæc enim cum gratiam & caritatem semper comitentur, merito radix & causa potissima meritorum dicuntur. Unde merito S. Gregorius virtutes solas veras Hominis divitias vocat, dum hom. 15. in Evang. ait: *Sola divitia vera sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt.* Si ergo, *Fratres carissimi, divites esse cupitis, veras divitias amate.* Cum ergo virtutum copiosum incrementum in Exercitiis spiritualibus obtineri, in superiori fructu quanto sit ostensum, negari non poterit, quin proportionatum quoque meritorum incrementum in iisdem obtineatur.

III. Tertium medium ad eundem finem per Exercitia spiritualia offertur, dum per Meditationem de Rege Christi, & de duobus vexillis ad perfectam Christi imitationem, atque adeò ad majorem DEI gloriam & obsequium in omnibus operibus & laboribus quærendum voluntas impellitur, ita ut, etiamsi nullo superaddito, laus DEI particeps, ad majorem tamen Christi imitationem, eligatur potius cum eo paupere, spreto, & illuso pauperies, contemptus & insipientiæ titulus, quàm opes, honores, & sapientiæ affectatio. Quàm amplum verò ex hoc studio meritorum augmentum oriatur, vel ex eo colligi potest, quòd DEUS liberalitate se vinci non patiatur, sed, quò liberaliorem se quærit erga eum ostendit, tanto liberaliorem se ipse vicissim præbiturus, mensuramque adeò bonam, confertam, coagulatam, & superfluentem Meritorum daturus sit in sinum illius.

Septimus

## Septimus Fructus.

*Præparatio ad Officia ritè obeunda.*

I. Etiam hic fructus non spernendus est, cum enim Major pars vitæ in muneribus & Officiis cuique impostis sit confundenda, rectè quoque concluditur, majorem meritorum & gloriæ obrinendæ partem in Officiorum accurata administratione consistere. Porro hunc fructum in Exercitiis potissimum obrineri, testatur inprimis ipsa Societas, quæ suos ad altissimum & difficillimum Operarii Apostolici munus præparatura, integrum annum impendi tertiæ probationi, & in hujus initio quatuor integras hebdomades, & aliam iterum in fine illius in sacris hisce Exercitiis utilissimè consumi mandat. Testantur item Episcopi, alijque Prælati fat multi, qui onus Angelicis humeris formidandum subituri, ab his potissimum Exercitiis vires petierunt; quas cum magno suo & suorum bono corroborari sensissent, ex iis non pauci nullos deinceps statuerunt sacris initiare, nisi ad dignissimum illud Christianæ Religionis munus cælesti hoc præsidio ante præparatos. Testatur denique ipse Christus, qui Apostolos suos ad labores Apostolicos fortiter exantlandos excitaturus, & virtute ex alto instructurus per integrum octiduum sese obscondere, orationique vacare illos voluit.

II. Porro ad fructum hunc obtinendum tria præcipuè media suggeruntur in his Exercitiis, quorum primum, est Exemplum ipsius Christi, actionesque ipsius accuratius consideratæ; hæ enim cum sint Idea & regula omnium functionum Apostolicarum, non possunt sanè perfectiùs actiones ad Proximi salutem ordinatæ peragi, quam si huic perfectissimæ Ideæ conformentur; nam, ut sapienter S. Basilius serm. de Resurr. pronuntiavit, *propter hoc naturam nostram suscepit, ut in se velut in tabula quâdam veram nobis veritatem & virtutem depingeret, eamque nobis omnibus tanquam Archetypum imitandum proponeret.* Hinc teste S. Bernardo S. 4. de advent. *Omnis nostra virtus tam longè est à vera virtute, quam longè est ab ea forma, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne.*

III. Alterum medium est orationis continuatio, quâ scilicet

licet vires à DEO gratiâque postulatur, sine qua frustanea est omnis conatus Operarij Apostolici; nam, ut præclare Bernardus epist. 101. dixit, *Nunc autem manent* ( id est, requiruntur ad Apostolicum munus ) *tria hæc, Verbum, Exemplum, Oratio; major autem horum Oratio, ea namque operi voci gratiam & efficaciam promeretur.* Et idipsum confirmans S. Augustinus l. 4. de doctr. Christ. c. 15. *Munus spirituum, inquit, ut præstet, magis opus est orationum, quam Oratoris facultate, ut orando pro se, & pro illis, quos est allocutus, sit Orator, antequam dicat.*

IV. Tertium medium est reflexio super obitas Muncionum sui functiones, per quam & commissorum errorum gravitas cognoscitur, & desinetur; simulque stimuli ac nova propostiones concipiuntur, eisdem non solum studiosè devitandi, sed etiam subsequenti actionum majore fervore compensandi. Nimirum sicut Messores, ubi aciem falcis suæ obtulisse advertunt, mox illam corpe sua exacuunt, sicque novo fervore laborem repetunt, & facilius longè fructuosiusque pergunt; ita Operarij quoque Spirituales, ubi fervorem in officij sui functionibus obeundis imminutum advertunt, in recessu Exercitiorum ferventibus Meditationibus eundem de novo reparant, sicque nova alacritate ad functionum suarum labores redeunt. Unde sapienter S. Hieronymus epist. 114 ad Celantiam scribens ait: *Non enim eo fit hic recessus, ut retraharis à tuis; imò id agimus, ut ibi discas, ibique macteris, qualem tuis te præbere debeas.*

#### Octavus Fructus.

##### Zelus Animarum.

I. Quantopere Zelus hic necessarius sit Operarijs Apostolicis, præclare S. Laurentius Justinianus in lib. de contemptu & complacitu Christi. perfect. indicavit dicens: *Atque igne quis ignem accendet? & sine charitate quis charitatis officia consummavit? Ardeat dilectionis flamma semper in te, quatenus calore tuo Proximorum excutatur tepor, imò accrescat amoris incendium: quomodo prateritarum negligentiarum rubigo deleatur. Poteris planè inflammare ceteros, si fueris tu charitatis incendio concrematus.*

Ex quibus verbis clarè colligitur, Zelum animarum esse proprium fructum Exercitiorum Spiritualium; cum enim in his præcipuè copiosa occasio offeratur, considerandi & meditando motiva ad Zelum impellentia, merito in his quoque sperandum est verificatum iri, quod S. David Ps. 38. dixit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarsit ignis.* Id quod facilius persuadebitur, si, qualia motiva ad Zelum excitandum in his Exercitijs proponuntur, breviter ostendatur.

II. Primum itaque motivum, quod vel maximè inculcatur in his Exercitijs, est Christi pro animarum salute incarnati, tantæque agentis & patientis exemplum; quod S. Carolus Borromæus, uti l. 3. c. 2. Act. Mediol. pag. 838. refertur, ob oculos præcipuè Operarijs Apostolicis habendum dicebat: quando monebat, ut in eo potissimum cogitationem, mentemque omnem figant, ut attentè considerent adventum in terras Domini nostri JESU Christi Filij DEI, diligentèrque perpendant, dum nobiscum in terris commoratus est, quanto desiderio nostræ salutis accensus fuerit, quantæque perpeffus sit; hæc enim si cogitent, merito sperari potest, talibus cogitationibus quasi quibusdam facibus animum illorum ita accensum iri, ut nullus vel maximus labor esse possit, quem illi subire reculent, ne pretiosissimi Christi Sanguinis fructus in ipsis, aliisque ipsorum negligentia depercat.

III. Secundum motivum est, ipsarum animarum præstantia, quam eleganter iterum ob oculos posuit suis Operarijs S. Carolus Borromæus, dum l. c. pag. 839. sic locutus est: *Salus animarum quanti facienda sit, ex incredibili dignitate animarum conijci potest, quæ si fortè alicui obscura est, clarissima IESU Christi verba perpendat, animam unam toti Mundo præferentis. Quid prodest, inquit, homini, etiam si univèrsam mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiat. Eiusdem præterea res omnes gestas animadvertat. Quid enim aliud ille voluit, cum è calo descendit, laboriosissimam vitam in terris duxit, acerbissimam deniq; mortem subiit, quam hominum animas ab aeterno periculo & morte liberare? hic certè laborum omnium susceptorum Scopus, hic sanguinis effusi, hic Crucis & mortis fructus*



fuit. eo in opere Adjuutores et sunt, qui Verbi DEI prædicationi operam navant. Quod ipsum etiam S. Gregorius Nazianz. orat. 2. sequentibus verbis breviter, sed eleganter ostendit: *Huc Magistra Lex tendit, huc inter Christum & Legem interjecti Propheta: huc Spiritualis Legis perfectus & finis Christus: huc exinanita Deitas: huc assumpta caro: huc nova illa mixtio, DEVS, inquam, & homo. Atque haec omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri Principem in unum coeſerunt.* Quid multis? sic DEVS dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret; at quid in Mundo dilexit, nisi id, propter quod factus est Mundus?

IV. Tertium motivum est, Sathanæ in perditionis, atque in æternum, idque inexplicabile supplicium trahendæ animabus insatiabile studium; nam, ut S. Brigitta quondam in Ecstasi audivit, in iudicio factus est, majori se impetu ferens in perniciem animarum, quàm torrens violentus; quæſivit autem à Christo, cur illud faceret? respondit, quia tu amas illas. Hinc merito iterum hoc motivum S. Carolus Borromeus Operarijs proposuit dicens: *Considerent præterea terribilem animarum stragem, quam generis humani sempiternus hostis Sathanas facit, quantam in illis perdendis sollicitudinem adhibent, quibus utatur Ministris, quâ alacritate, sollicitudinèque, quibus laboribus & vigilijs scelesti Ministris opus urgeant, indefessi atque assidui, idemque perpetui & obfirmati. Quare turpissimam rem se facturos existimare debent IESU Christi Ministris, si ita Magistris suis voluntatem, dignitatèmq; suam, atque sempiternam præmiæ perdant, vel à Christiana charitate tam alienos se præbent, ut à Sathanæ Ministris superari se sinant, patianturque, ut illi majori studio ad se, & alios perdendos, quàm ipsi ad suam, aliorumq; salutem tuendam incumbant.*

V. Quartum denique motivum est vocationis obligatio perpensa; si enim Officiales & Ministri Principum, vel aliquam dignitatem, quantumvis improbo labore & precibus, obtinuerunt, beatissimos se putant, & vel hoc etiam titulo ad omnem fidelitatem & diligentiam in tali munere præstandam obligatos se putant; quantò magis id sentiendum ei, qui ultrò & gratuito ad dignitatem & officium omnium divinorum divinissimum (ut vocat S. Dionysius Arcopa-

reopagita) videlicet ad animarum salutem procurandam vocatus est

### Nonus Fructus.

#### Perfectionis Affectio.

I. Nonus fructus, & primus ex ijs, qui ad viam unitivam spectant, est Perfectionis affectio, seu, quod idem est, perfecta cum DEO per amorem purissimum unio; ad quem fructum obtinendum duo præcipuè perquam efficacia & aptissima media in his Exercitijs obtinentur. Quorum primum est clarissima Bonitatis, aliarumque perfectionum divinarum, & præcipuè amoris, quo DEVS homines prosequitur, cognitio; quæ cognitio quantopere conducat ad mutuum amorem provocandum, patet ex ipso Beatorum in cælis existentium felicissimo Statu, qui ideo rapiuntur, & necessitantur ad amandum perfectissimè DEVM, quia per visionem beatificam clarissimè divinitatem illius & supremam bonitatem cognoscunt; unde S. Ignatius assiduè cum suspirio exclamare solebat ad DEVM: O utinam, mi DEVS, homines te nôssent! non ignarus scilicet, quò perfectiùs ipsum homines cognitari & amorem illius perpensuri forent, eò vehementiùs quoque ad amorem illius incitatum iri. Maximè si ipsius etiam amoris infiniti erga homines tot beneficijs & operibus comprobati magnitudo perpendatur, tunc enim verè erubescit homo, se tam parvè vicès in amando rependisse, & in illa S. Bernardi verba erumpit: *Amat charitas, amat immensitas, & nos vicem rependimus cum mensura?*

II. Alterum medium est bonitatis & dulcedinis divinæ degustatio; hic enim propriè dicitur ijs, qui Exercitia faciunt: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Psal. 33. Hic ipse DEVS de anima in hanc solitudinem se conferente repetit verba illa per Oseam c. 2. dicta: *Ducam eam in solitudinem, & luctabo eam* (id est, dulcedinem meæ bonitatis gustandam dabo) *& loquar ad cor eius.* Ut exclamare cogatur & fateri cum Discipulis in Emaus euntibus: *Nonne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis.* Luc. 24. aut cum S. Augustino l. 9. conf. c. 1. *O quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuit, jam dimittere gaudium erat;*

ejecitbas enim eas à me veratu, & summa suavitas; eiecitbas eas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior. Certè unquam alibi, in his Exercitijs verificatur illud commen adagium: *Gustato Spiritu desipit omnis caro.* Unde ante his deliciis inescata exclamat cum Apostolis: *Bonum est mihi hic esse.* Matt. 17. aut cum Sponfa; *Sub arbore illius, quem desideraveram, Sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. Item cum S. Bernardo in Jubilo: *Nec lingua potest dicere, nec litera exprimere, expertus potest credere, qui sit DEVM diligere.*

## Decimus Fructus.

## Dispositio optima ad mortem piè &amp; feliciter obeundam.

I. Fructus hic tantò ampliùs jure merito aestimandus magisque optandus est, quantò certius constar, totam hominis felicitatem vel miseriam æternam ab ultimo hoc articulo pendere: nam, ut sapienter S. Augustinus ad Diosc. scripsit, *in quo quemq; invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies; quoniam qui in isto die moritur, talis in die illo judicabitur.*

II. Quantopere verò conducant Exercitia Spiritualia ad hunc fructum obtinendum, ex tribus præcipuè indicia colligitur. 1. Ex ipsa Meditatione, quæ in prima hebdomada de Morte, ejusque circumstantiis proponitur: quæ quidem quàm efficax sit ad dignam pro morte præparationem suscipiendam, testatus est in primis S. Gregorius I. 12. moralium dicens: *Qui considerat, qualis erit in morte, semper paratus erit in operatione, atque inde in oculis sui Conditorum vivit. Nil, quod transeat, appetit: cunctis vita presentis desiderijs contradicit, & pene se mortuum considerat, qui moriturum se minimè ignorat. Perfecta enim vita est mortis meditatio, quam, dum justis sollicitè peragunt, culpam laqueos evadunt.* Testatus est etiam Juvenis ille sceleratus, de quo Spec. Exempl. meminit, qui pro pœnitentia post confessionem peractam jussus in lecto se componere, & constituta ad pedem lectuli effigie Crucifixi cum duobus cereis imaginari, se jam morti vicinum esse, per brevem hanc considerat.

considerationem adeo commotus est, ut mox è lecto surrexerit, & Religiosam vitam sanctissimè sit professus.

III. Secundò hoc ipsum colligitur ex vitæ rationibus, quæ hoc Exercitiorum tempore plerumque per generalem Confessionem, aliâque media componuntur; quemadmodum enim Homines prudentes, quibus momenti alicujus lis est, operam dant, ut aliquot dies ab Hominum consortio secum assumant Advocatos, quibus causam explicent suam, quòsque omni strepitu, arbitrîsque remotis consulant super litis quæstione; ita viri sapientes ad litem summi momenti, quam communis Inimicus ad mortis clepsydram intendet, per secessum in hanc solitudinem se ad eandem præparant. Quem in finem memorabile Exemplum in sæpe cit. libello Sacr. Tempe c. 2. ex. 3. refertur in hæc verba: Sacerdos generali Confessione locum ac tempus quærens, profanis semper negotijs interturbatus, de die in diem differendo cunctabatur, donec unum destinavit nulla occupatione procrastinandum. Commodum advenit dies, cum ei literæ Amicorum Sevilîæ redduntur, inde proficisci jubentes, itaque Confessario valedicit suo, causatus impedimentum, post reditum isthæc obiturus; an ignoras, Domine, subijcit Confessarius, te esse mortalem, atque inter viam mori posse? Motus hisce Sacerdos, ac tempore prolixius exercitium negante in hunc secessum se contulit, indeque magno cum fructu prodiens in viam se dedit, cum ecce in medio itinere correptus morbo, morisque se sentiens, felix, inquit, hora, quâ secessu ad invidas vitæ meæ rationes, ad mortem obeundam, ad Testamentum ritu Christiano condendum; alioqui acerbum futurum erat in pago procul à Patria mori. Itaque quia in illo secessu me præparavi, animo morior æquissimo, ubicunque fuerit visum DEO, vel in medij vastitate campi. Sicque Sacramentis ad iter æternitatis instructus piè vitam terminavit.

IV. Tertio denique id ipsum colligitur ex ipsa vitæ reformatione, quæ, ut alibi ostensum est, præcipuus est horum Exercitiorum Scopus, atque adeo hoc ipso etiam optima ad mortem dispositio, cum, teste S. Augustino de doctr. Christ. non possit malè mori, qui bene vixit; &, ut l. 1. de civit. ait, *mala mors putanda non sit, quam bona vita præcessit; neque enim*

enim

*enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem.*

Undecimus Fructus,  
Ecclesiae, & Familiarum Religiosarum incrementum.

I. Hic fructus quoque quàm proprius effectus sit Spiritualium Exercitiorum, ex eo facile colligitur, quòd tam Ecclesiae, quàm Familiarum Religiosarum incrementum in præcipuè consistat, ut & viros nanciscantur legitime à DEO vocatos (hoc ipso enim DEVS, qui eos tam misericorditer elegit, etiam virtute ex alto instruet, & sicut velle concessit etiam perficere dabit) & ijdem vero Apostolico aut Religioso Spiritu imbuantur, & in eodem constanter perseverent & perficiantur; ad hunc autem finem obtinendum mentis Exercitia Spiritualia aptissimum Instrumentum censeantur, nam imprimis Vocationem & Electionem Statûs quod attinet, quis melior modus, aut praxis eandem indagandi præscribi aut adhiberi potest, quàm is ipse, quem S. Ignatius his Exercitijs præscripsit; per hunc certè plerique ex primis decem Societatis nostræ Patribus ad Religionem attracti, tantos postea fructus in longum ævum duraturos fecerunt.

II. Nec minùs autem juvant etiam ad conceptum semel Vocationis exequenda fervorem conservandum & augendum; id quod experientia quotidiana confirmat, præquam habetur, non modò Societatem, sed alios etiam, sive Ecclesiasticos, sive Religiosos Prælatos, quando Subditorum suorum fervorem per occupationes externas imminutum aut omnino deperditum reparare, & resuscitare volunt, horum potissimum Exercitiorum auxilio id efficere conari; utpote quibus singularem efficaciam ad animos charitate DEI & Proximi inflammandos inesse, ipsimet etiam propriâ plerumque experientiâ cognoverunt; nimirum sicut aqua in lebetè inclusa, si igni admoveatur, operculoque claudatur, vehementius exæstuat; ita fervor animo conceptus, licet modicus sit, si cum igne divino jungatur (id est, eximii DEI in nos, aliòsque charitas & beneficentia consideretur) & operculum apponatur (id est, extrinseca objecta animum distrahentia, & ad se sapientia removeantur) in immensum perficitur.

perficitur, & augetur; uti rectè S. Gregorius l. 22. moral. c. 2. advertit dicens: *Animus noster dum igne amoris excoquitur, semper in se servat charitatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris; nescit enim mens per torporem veterascere, qua studet per desiderium semper inchoare; hinc nempe per Paulum dicitur: Renovamini Spiritu mentis vestre. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: dixi, nunc cæpi; quia si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est; ut inchoare nos quotidie credamus.*

## Duodecimus Fructus.

*Majus divinæ Gloriæ incrementum.*

I. Ultimus quidem Ordine, sed primus dignitate merito hic fructus æstimatur, utpote ad quem omnes præcedentes Fructus velut ad ultimum finem ordinantur; cum enim Gloria DEI in hoc consistat, quòd à Creaturis magis cognoscatur, æstimetur, & ametur; tunc autem DEVS magis æstimetur, & ametur, quando homo fortiter, & constanter declinat à malo seu peccato, & ferventer facit bonum, seu in virtutibus se exercet, facile patet, eodem passu, quo peccata vitantur, & virtutes exercentur, etiam DEI gloriam augeri; unde non opus est, ulterius ostendere, quòd Exercitia Spiritualia specialiter conducant ad hunc fructum obtinendum; cum hoc ipso, quòd ostensum sit in præcedentibus paragraphis, per ea Hominem Salutis suæ studiosum ordinatissimâ Methodo per omnes tres vias, Purgativam scilicet, Illuminativam, & Unitivam ad summum perfectionis Apicem perducitur, rectè concludatur, etiam ad Majorem DEI gloriam promovendam non minorem ea utilitatem, efficaciamque continere.

## §. III.

## De Jucunditate Exercitiorum.

I. Inter alias fallacias, quibus Dæmon Exercitiorum horum Spiritualium fructum impedire nititur, non minima profectò censenda est falsa illa & inanis persuasio, quâ nonnullis persuadet, fastidiosam nimis, & tædio, tristitiâque plenam

plenam rem esse, Exercitijs hisce Spiritualibus vacare, quod eorum præcipuè exemplo probat, qui, quia minus applicat ad hæc Exercitia, & curas, consolationesque exas abijcere nolunt, hoc ipso iucunditatem in illis absconditam minus quoque sentiunt, atque adeò meritò fastidio, & stibusque ac melancholicis cogitationibus obruuntur. Verum aliud longè est eorum, qui iucunditatem horum Exercitiorum experti sunt, iudicium; hi enim Vacationum Spiritualium loco habent hæc Exercitia, atque adeò non minus alacritate ad eadem accedunt, & perseverant; quàm alij Vacationes corporales in amœna prædia conferre se solent. Et meritò sanè Vacationibus ea æquiparant, nam omnia capita, propter quæ Vacationes corporales tam iucundantur, & tam avidè expetuntur, in his Exercitijs perfectissimo modo repertiuntur.

II. Si enim primò ante omnia *Locus* vacationes iucundas efficit, præcipuè si in alto monte situs: si sanus, id est, sereno & frigidiusculo aère perflatus: si amœnus, id est, floribus arboribus, limpidisque rivulis sit instructus, ubi similem cum magis, quàm in hisce Exercitijs reperire licet? quid enim cælo altius est? atqui in hoc Anima hoc tempore habitata, quæ magis est, ubi amat & orat, quàm ubi animatur. sanè locus sanissimus est, quia purissimo & gratissimo veni afflatur, illo nempe qui in die Pentecostes Apostolos afflavit, & similique modo afflavit omnes, qui cum Apostolis per aliquot dies orationi vacant: *si enim vos, inquit Christus, cum sitis mali, nobis bona dare Filij vestris, quoniam magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus?* hic denique locus amœnissimis arboribus & rivulis circumfusus, & irrigatus, quid enim ipsi Sancti in cælo, quorum vita & exempla in his Exercitijs leguntur, & considerantur aliud sunt, quàm arbores amœnissimæ, & ut S. David Psalmo loquitur, lignum plantatum secus decursum aquarum, quod fructum pulcherrimum virtutum & bonorum operum det in tempore suo, cuius folium non defluet in æternum, & omnia, quæcunque fecerunt, & facient, prosperabuntur? quod aliud gratia DEI semper quidem, sed in his Exercitijs præcipuè ob maiorem dispositionem, & tertentorem oratione parata, quid aliud, inquam, est, nisi rivulus aquæ illius,

qua Christus Jo. 4. Samaritanæ dixit: *Qui biberit ex hac aqua, quam dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam?* si ergo illis, qui loca amœna & alta pro recreatione eligunt, omnis labor & molestia, quam in ascensu percipiunt, spe salutaturæ voluptatis iucunda & facilis apparet; quidni potiori jure difficultas, quæ in Exercitijs faciendis interdum sentitur, facile superetur, ut spiritali recreatione ex loci amœnitate percipi solita animus fruatur, sicque ob tam insignem victoriam illud Apoc. 2. verificetur: *Vincens dabo manna absconditum,*

III. Si verò & *Temporis* seu longitudo, seu amœnitas iucundiorum efficere Vacationem solet, quidni ob eandem rationem Exercitia spiritalia vacationi rectè comparentur, utpote in quibus octo plerumque aut decem, dies interdum verò quatuor integræ septimanæ consumuntur? quis non amœnissimum Exercitiorum tempus asserat esse, in quo omnes plerumque curarum importuni & molesti venti quiescunt, omnesque seu cupiditatum immoderatarum nimius æstus, seu noxium spiritalis torporis frigus abest, ut adeò meritò de hoc tempore quisque Exercitans illud Sira- cidis Eccl. 24. applicet: *Ne defraudevis à die bono, & particula boni domi non te praterat.*

IV. Ipsas verò Exercitationes, Corporis quod attinet, puta colloquationem, ambulationem, refectionem, piscationem, venationem, aucupium, & similes, quæ non modicè, imò præcipuè iucundas efficiunt Vacationes corporales, etiam hæ perfectiori longè modo in exercitijs spiritalibus reperiuntur; quod enim gratius colloquium excogitari potest, quàm cum DEO, de quo sponsa Cant. 5. dixit: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locus est?* de quo duo Discipuli in Emaus euntes facti sunt: *Nonne cor nostrum ardens erat, in nobis, dum loqueretur in via?* Quæ iucundior deambulatio accidere potest, quàm ea, per quam triplex via perfectionis decurritur, & ad gratum Sanctitatis apicem pervenitur? Quæ suavior relectio optari potest, quàm ea, quæ tum per Verbi divini auditi lectivè, tum per amoris gustatam dulcedinem percipitur, de qua S. Bernardus in jubilo dixit: *Tua IESU dilectio, grata mentis relectio, replens sine fa-*



ne fastidio, d.ans f. mem desiderio? Quòd si & securam me  
 teste Salomone Prov. 15. est quasi iuge convivium, ubi  
 gis hoc convivium, quàm in his ipsis Exercitijs reperietur  
 quorum præcipuus scopus est, expulsis per pœnitentiam  
 tijs, securam & quietam mentem efficere? Jam verò qu  
 Piscatio gratior & felicior esse potest, quam ea, quâ anim  
 seu viventium Peccatorum, seu Captivorum in Purgator  
 gravissimas pœnas sustinentium capiuntur, uti fit in  
 Exercitijs, dum & ferventia pro iis suspiria, precésque  
 Deum emittuntur, & novus ad easdem efficacius juven  
 ardor concipitur, variæque ad eundem finem obtinend  
 media excogitantur, ut impletum meritò illud Christi  
 Apostolos Matt. 4. prolatum Vaticinium videri queat: *Ven  
 te post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum.* Sed  
 venatio iucunda deesse videtur his Exercitijs, dum Exer  
 tans illud Sponsæ, Cant. 2. sibi applicans: *Capite nobis vi  
 pes parvulas, qua demoliuntur vineas nostras; nam vinea  
 nostra floruit:* imperfectiones & malas inclinationes  
 tantò majori voluptate, & feliciori successu insequitur, qua  
 tò graviora plerumque per eam damna animæ, velut Sp  
 tuali vineæ inferebantur. Et ne ipsa quoque Aucupij vol  
 pras desit, cogitationes & desideria, quæ velut Aviculæ lib  
 rè per Mundum vagabantur, & nunc huic, nunc illi rei  
 inordinatum amorem insidentes vanæ voluptatis escama  
 ptabant, per accuratam reflexionem & detestationem cap  
 untur, & intra rationis bene ordinatæ caveam includuntur  
 Ut meritò propter ejusmodi voluptatem impleta videatur  
 promissio, quam DEVS olim per Jeremiam Prophetam  
 fecerat dicens: *Consolabitur ergo Deus Sion, & consolabitur  
 omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delicias,  
 solitudinem eius quasi hortum Domini.* Quam item Spon  
 sa Cant. 7. Sponso fecerat dicens: *Veni dilecte mi, egred  
 mur in agros, commoremur in villis. Manè surgamus  
 vineas; videamus, si floruit vinea, si flores fructus partur  
 unt, si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi ubera cœli  
 stium consolationum.* Has sanè, ut plura alia exemp  
 præteream, gustavit Calvinianus ille, qui, ut c. 2. Sac. Te  
 pe ex. 12. refertur, tantam in his Exercitijs dulcedinem  
 sit, ut dicere ausus sit, hominem quantumvis flagitiosum

illa degustaret, nullies mortem oppetiturum, ut iis fruere-  
 tur. Sed ne brevis ea voluptas fuisse credatur, integri anni  
 de cursu delicijs illis inter orandum demulcebatur, adeò ut  
 senas omnino horas genibus solo affixis traducere solitaret,  
 magnamque partem à sensibus abductus alienaretur. Ad-  
 huc verò mirabilius est, quod ibidem ex 13. de alio Calvini-  
 ano legitur, qui, ubi Exercitijs hisce vacare cœpit, tantis re-  
 platus est delicijs, ut toto die incœnatus & impotus manens,  
 causamque rogatus responderit, se præ copia solatiorum ci-  
 bum non capere, imò nec tempus ad unicum libelli pii ca-  
 put perlegendum invenire posse. Unde finitis Exercitijs In-  
 structorem suum his verbis allocutus est: Pater, à parvo Pue-  
 ro educatus sum inter commoditates, quæ vel optari potuis-  
 sent, affirmo tamen ignorasse me adhuc, quæ sit voluptas;  
 nisi dum quatuor hisce parietibus me video circumseptum;  
 & fieri nō potest, quin, qui experiatur, & credat, quæ mihi cō-  
 tingerunt, convertatur ad DEUM, fiatque Catholicus. Ego  
 domo profectus sum urbes orbis Christiani celebriores con-  
 visendi, deinde Constantinopolim, Hierosolymam, ali-  
 as que, at verò finem itineribus meis impono, cum, quod  
 quaesieram, hîc loci invenerim, neque unquam antehac hæ-  
 perire licuerit, pacem videlicet, animique tranquillita-  
 tem. Et quando intelligo hanc gratiam à DEO non soli  
 mihi tributam, sed in aliorum quoque gratiam, referam me  
 domum, ubi multi vitam inter doctrinæ fallacias agitant,  
 eorum; quæ hîc loci experiundo didici, rudes ac ignari;  
 quod ipsum etiam opere postmodum complevit, admiranti-  
 bus domesticis tam subitam, & extraordinariam hominis  
 mutationem, donec ex ipsomet genuinam causam intellexe-  
 runt.

## TITULUS II.

### DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM EX EXTRIN- SECIS TESTIMONIIS.

Innumera quidem testimonia afferri possent, ex quibus  
 tantò efficacius præstantia Exercitiorum posset, quantò cer-  
 tius plerique eorundem utilitatem, fructusque dulcissimos  
 propriâ experientiâ cognoverunt, sed ad duodecim velut  
*Instruct. VIII.*

E

præ-

rari potest, maximè si talis sit, qualem S. Ignatius requirit secretus scilicet, & ab omni concursu & aspectu hominum Familiarium præcipuè, remotus, unde tamen ipsi liberum securumque sit ad Sacrificium Missæ aut alia divina Officia audienda egredi. Ex tali enim secessione tres præcipuas utilitates hauriri, idem S. Pater annot. 20. affirmat. 1. Quòd exclusis Amicis & negotijs minùs rectè ordinatis ad DEI cultum, gratiam apud DEVM majorem mereatur. 2. Quòd mens magis collecta, & ad solam DEI obsequium, salutisque propriæ negotium expediendum multò magis expedita maneat. 3. Quòd, quantò magis se homo segregat à Mundo, tantò propius ad DEVM accedat, capaciòrque fiat ad bonitatibus divinæ dona suscipienda.

## CAPUT II.

DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM  
SPIRITUALIVM.

Duplici modo potest cognosci præstantia alicujus rei: intrinsecis scilicet perfectionibus seu prædicatis; & extrinsecis testimonijs: ex utroque autem hoc titulo singularem Exercitijs Spiritualibus excellentiam convenire ex sequentibus patebit.

## TITULUS I.

## DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM EX INTRINSECIS PRÆDICATIS.

Innumera quidem prædicata enumerari possent ad dignam de Exercitijs Spiritualibus æstimationem ingenerandam, sed pleraque meritò ad tria revocari possunt, ad necessitatem scilicet, utilitatem, & jucunditatem eorundem; hæc enim quantò majora in illis reperiri demonstrabitur, tantò major quoque de illis æstimatio concipietur.

## §. I.

## De Necessitate Exercitiorum Spiritualium.

Tria plerumque capita Homini cuique necessaria existimantur, ut finem, ad quem à DEO conditus est, felicitatem consequatur.

illa degustaret, nullies mortem oppetiturum, ut iis fruere-  
 tur. Sed ne brevis ea voluptas fuisse credatur, integri anni  
 de cursu delicijs illis inter orandum demulcebatur, adeò ut  
 senas omnino horas genibus solo affixis traducere solitaret,  
 magnamque partem à sensibus abductus alienaretur. Ad-  
 huc verò mirabilius est, quod ibidem ex 13. de alio Calvini-  
 ano legitur, qui, ubi Exercitijs hisce vacare cœpit, tantis re-  
 platus est delicijs, ut toto die incœnatus & impotus manens,  
 causamque rogatus responderit, se præ copia solatiorum ci-  
 bum non capere, imò nec tempus ad unicum libelli pii ca-  
 put perlegendum invenire posse. Unde finitis Exercitijs In-  
 structorem suum his verbis allocutus est: Pater, à parvo Pue-  
 ro educatus sum inter commoditates, quæ vel optari potuis-  
 sent, affirmo tamen ignorasse me adhuc, quæ sit voluptas;  
 nisi dum quatuor hisce parietibus me video circumseptum;  
 & fieri nō potest, quin, qui experiatur, & credat, quæ mihi cō-  
 tingerunt, convertatur ad DEUM, fiatque Catholicus. Ego  
 domo profectus sum urbes orbis Christiani celebriores con-  
 visendi, deinde Constantinopolim, Hierosolymam, ali-  
 as que, at verò finem itineribus meis impono, cum, quod  
 quaesieram, hîc loci invenerim, neque unquam antehac hæ-  
 perire licuerit, pacem videlicet, animique tranquillita-  
 tem. Et quando intelligo hanc gratiam à DEO non soli  
 mihi tributam, sed in aliorum quoque gratiam, referam me  
 domum, ubi multi vitam inter doctrinæ fallacias agitant,  
 eorum; quæ hîc loci experiundo didici, rudes ac ignari;  
 quod ipsum etiam opere postmodum complevit, admiranti-  
 bus domesticis tam subitam, & extraordinariam hominis  
 mutationem, donec ex ipsomet genuinam causam intellexe-  
 runt.

## TITULUS II.

### DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM EX EXTRIN- SECIS TESTIMONIIS.

Innumera quidem testimonia afferri possent, ex quibus  
 tantò efficacius præstantia Exercitiorum posset, quantò cer-  
 tius plerique eorundem utilitatem, fructusque dulcissimos  
 propriâ experientiâ cognoverunt, sed ad duodecim velut

*Instruct. VIII.*

E

præ-

præcipua meritò reduci possunt, videlicet ad DEUM, Clæ-  
stum, B. Virginem & Cælitèss. Patres, summos Pon-  
ces, Cardinales & Episcopos, Principes Sæculares, Doct-  
res, Religiosos externos, Religiosos nostræ Societatis, Si-  
culares Catholicos, Hæreticos, Ethnicos, quorum testimonia  
proinde per distinctos paragraphos breviter afferentur.

## §. I.

## Quanti DEUS faciat Exercitia.

I. Quanti æstimet DEUS hæc Exercitia Spiritualia, ve-  
fanè argumentis non obscurè declaravit. Et primò quò-  
dum Moysem ad se in montem Sinai vocavit, & quadragi-  
ta diebus & noctibus retinuit, an non clarissimo argumen-  
to ostendit, tunc se præcipuè hominibus suam voluntatem  
declarare, donaque communicare, quando à turbis se-  
ti, totos se consortio, colloquioque secum instituendo  
pendunt?

II. Quod ipsum etiam simili argumento in Elia Prophe-  
ta declaravit, quando eundem in Spelunca montis deli-  
centem in spiritu primùm grandi & forti subvertente  
tes, & petras conterente, deinde verò in sibilo auræ re-  
invisit, ut ostenderet scilicet, tunc maximè se altos mentium  
& petras duras mentium peccatis aut imperfectionibus  
noxiarum conterere, suamque voluntatem per inspira-  
nem internam quasi sibilum tenuem manifestare, quando  
solitudinis speluncam secedunt homines, & remotis  
& curis, divinæ familiaritatis sese capaces efficiunt.

III. Sed neque illud etiam testimonium prætereundum  
est, quod per Oseam Prophetam c. 2. protulit dicens: *Propheta*  
*hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem,*  
*loquar ad cor ejus.* Quæ enim alia est lactatio ista,  
promissio multiplicium fructuum, qui ex solitudine rep-  
tantur? quid aliud *loqui ad cor* significat, nisi quod tunc  
ximè soleat viam perfectionis & unionis cum DEO osten-  
re, atque ad eandem alacriter decurrendam, efficacia  
va stimulosque suppeditare?

IV. Jam verò illa Isaia: Prophetæ c. 26. verba ( *Vnde*

*pulus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicè ad momentum, donec pertranseat indignatio?* ) qui accuratius perpendit, an non fateri cogetur, cõfilium hoc per Exercitia Spiritualia perfectissimè adimpleri, adeòque jam tum DEUM ad solitudinem hanc sacram respexisse?

V. Quòd si denique admirandi in his Exercitiis producti effectus, admirandæ inquam, conversiones, copiosæ consolationes, & altissimæ illustrationes considerentur, quid aliud sunt nisi clarissima DEI testimonia, quibus testari dignatus est, hæc Exercitia ( quod multorum aliàs etiam sermone percubuit ) esse opus humano majus & nobilissimum æternæ suæ mentis inventum?

## §. II.

Quantopere Christus Exercitia hæc æstimârit, & commendârit.

I. Quantopere Servator noster Exercitia hæc æstimârit, clariùs testari non potuit, quàm cùm in desertum secedens, quadraginta diebus & noctibus, sine ullo humano consortio vixit, solisque contemplationibus, aliisque spiritualibus exercitationibus vacavit; quam ob causam Petrus Guerrerius Archiepiscopus Granatensis, uti Historiæ Societatis p. 1. l. 13. n. 86. refertur, Exercitia hæc summi faciebat, dicebatque semel in concione. Christum in desertum tanquam Exercitia spiritualia secessisse, ut omnes suo invitaret exemplo, docerétque necessarium subinde esse, ad res animi sui considerandas locum, tempùsque vacuum sumere.

II. Sed & aliud non obscurum hujus rei testimonium reliquit, quando Discipulos suos ultro ad secessum spirituales invitavit Marc. 6. dicens: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pauillum*; ubi per quietem utique non corporalem duntaxat cessationem à laboribus, aut somnum intellexit, sed depositionem curarum, & occupationum ad alios juvandos pertinentium, sui que accuratam inspectionem & recollectionem, ut novo fervore & alacritate ad pristinos labores redirent.

III. Quando verò Matt. 6. dixit *Tu autem cum oraveris,*

ris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi: quid aliud, quàm secessum spiritualem suavitè videtur? ubi enim perfectiùs hoc Christi consilium impletur, quàm in his ipsis Exercitiis, dum & cubiculum privatum eligitur, & diligenter clauditur ( id est, sine necessitate non exitur ex eo, nec quisquam alius nisi simili ex causa admittitur ) & magno cum fervore plerumque tempus Orationi impenditur?

IV. Clarissimum verò de utilitate horum Exercitiorum testimonium tulit, quando, ut in Actibus Apostolorum legitur præcepit Apostolis suis, ut ab Jerolymis non discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam petrus ejus audiverunt; quæ enim fuerit expectatio, sat clarè eisdem indicatur, dum dicitur, quòd in cenaculum introierint, & unanimiter perseverârunt in oratione cum Mulieribus, & MARIA Matre JESU, & Fratribus ejus; quid autem hoc aliud erat, nisi Exercitiis spiritualibus vacare, & petrus se dignissimè ad Paraclæti promissi optatissimum Adventum præparare?

### §. III.

#### Quam æstimationem B. Virgo de Exercitiis spiritualibus habuerit.

I. Quid Sanctissima DEI Mater de præstantia & utilitate Exercitiorum horum spiritualium sentierit, non video efficaciùs ostendere, & probare posse, quàm si specialem revelationem à P. Ludovico de Ponte in vita P. Balthasari Alvarez c. 53. §. 1. narratam ipsius Authoris verbis retulerem. Sic ergo illi scribit.

II. Ex multis Personis altissimæ Orationis, quibus feci ( quæ non fuerunt pauca ) fuit quædam, cui Deus Dominus noster, & Sanctissima ejus Mater, extraordinarios valde devotes & misericordias exhibebant, de cujus sincera veritate cum aliquid dicit, habeo eam moralem certitudinem, quam in ejusmodi rebus homo habere potest. Illa, inquam, mihi dixit, quæ referam.

III. Cum illa intellexeret, homines Societatis ad hoc

Exercitia facienda se colligere anno 1600. pro more nostro recepto, voluit & illa in domo sua se colligere, ut eadem faceret modo, quo posset. Cùmque cœpisset, mane quodam in sua Oratione esset cum Domino, vidit oculis mentis venientem, & ad se appropinquantem sanctum quendam Angelum insignis Majestatis, quæ cùm obstupesceret, & nesciret, quid hoc esse posset, dixit ei ille, se esse Archangelum Gabrielem, & missum à Sacratissima Virgine, ut ipsam salutaret, & quædam significaret. Illa, quæ erat valde humilis, hoc audiens, magis obstupuit, seque contraxit, petens ab Angelo, ut prius, quàm referret, quæ in mandatis habebat, permitteret ipsam diutius cum Domino DEO nostro de re adeò gravi tractare (quod in hujusmodi occasionibus facere solebat) Angelus, cui valde placet humilitas, & cautela, sanctâque illa ex reverentia contractio, respondit, sibi id valde placere. Quare eo, quasi ibi non esset, prætermisso, accessit ipsa ad Dominum nostrum (quem ubique præsentem esse Fides nostra docet) magnòque animi sensu & affectu suam ei miseriam & vilitatem proposuit, humiliter petens misericordiam, & ut ab ea dignaretur avertere, quidquid sanctissimæ ejus voluntati conforme non esset. Cùmque in his & aliis hujusmodi petitionibus aliquamdiu hæsisset, audivit internam Domini vocem dicentis, ut. quæ Angelus dicturus ei esset, audiret.

IV. Et illa certior & securior interiùs facta, quòd totum illud esset DEI opus, cum in modum, quo divina sua Majestas cam Servis suis Prophetis faciebat, audivit flexis genibus, & magna cum reverentia, quæ Angelus in commissis habebat. Qui cælestis Regina nomine ei dicebat: Exercitiis, quæ facere cogitasti, per mentis ratiocinationes & Meditationes magnitudinis DEI, & bonorum infinitorum, quæ per Christum vobis communicantur (in eum ferè modum, quo sunt à Societate) singulare obsequium Reginae nostræ præstabis; significat enim tibi, se fuisse, & esse tanquam Patronam & Fundatricem illorum Societatis exercitiorum; nam se adjuvisse, & docuisse S. Ignatium, ut ita fieret, ideòque hoc nomine initium se dedisse huic operi, imò & se toto tempore vitæ suæ in sanctis hujusmodi Exercitiis fuisse occupatam.

V. Hæc fuit revelatio, de cujus veritate (ut dixi) non



possim dubitare, perpenlis omnibus circumstantiis ejus, et facta est; certòque credo, non illi Personæ factam fuisse revelationem propter se, sed propter uos, ut scilicet Societas homines, & cæteri, qui sanctis his Meditationibus exercetur, aliquod eis tempus seorsim tribuentes pluris ea faciant & ad ea continuanda magis animentur, si quidem talem habent Fundatricem, Protectricem, & Adjutricem, qualis est ipsa Sacratissima Virgo DEI Mater, quæ etiam ea fecit, licet cum majore excellentia absque ulla comparatione, quam nos, voluitque rem hanc nobis manifestare, ut illustrissimum & sanctissimum illius exemplum sequeremur. Ita meminit Pater Ludovicus de Ponte.

VI. Ex qua revelatione, ut rectè concludit nonnisi evidenter possumus colligere, quòd ista Exercitia sint excellentissimum medium ad augendam in nobis charitatem DEI. Nam si hæc Virgo, quæ ad tam altum Sanctitatis gradum ascendit, Spiritus S. instinctu speciali ea fecerit, profectò dubitari non potest, quin DEVS ea Exercitia illi inspirarit, etiam quam singulare & excellentissimum medium ad augendam suam erga DEVM charitatem; nam hæc perfectio est & res Sanctitas, ad quam omnia opera pietatis dirigi debent. Unde inde si Mater Sapientiæ ea S. Ignatio dictaverit, vel in scribendis direxerit; & si Mater Sanctitatis & Charitatis, supra omnes Homines & Angelos debuit in dilectione mentis incrementis proficere, in his Exercitijs se totà vitâ consecuerit, quis dubitare poterit, quin divinæ Sapientiæ & Charitatis thesauri, & pretiosissimæ fodiæ in ijs reperiantur?

## §. IV.

## Quid SS. Patres de Exercitijs senserint.

I. Agmen inter hos meritò ducat S. Gregorius l. 1. mor. c. 12. ubi non obscure utilitatem ejusmodi recessus in sequentibus verbis indicat: *Sancti Viri, qui exterioribus mysteriis deservire Officij necessitate coguntur, studiosè sepe ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis interiorum cacumen ascendunt, & legem quasi in monte percipiunt dum postpositis tumultibus actionum temporalium in contemplatione*

derationis sua vertice superna voluntatis sententiam per-  
seruantur. Quantopere autem his ipse secessus conducatur  
ad mentem cælestibus consolationibus & illustrationibus  
replendam l. 30. moral. indicavit dicens: Si carni, quod li-  
cet, abscindimus, mox in Spiritu, quod delectat, invenimus,  
Intentioni quippe anima si exterior evagatio clauditur, in-  
terior accessus aperitur; nam quò extra se spargi propter dis-  
ciplinam non potest, eò super se intendere per profectum pos-  
est; quia etiam in altum arbor crescere cogitur, qua per ra-  
mos diffundi prohibetur; & cum rivus fontis obstruimus,  
fluenta surgere ad Superiora provocamus.

II. S. Hieronymus verò quantopere solitudinem & se-  
cessum à turbis amarit, sequentibus verbis apertè monstra-  
vit: O desertum floribus Christi vernans: O solitudo, in qua  
nascuntur ij lapides, de quibus in Apocalypsi Civitas Magni  
Regis extruitur! O Eremitus familiaris DEO gaudens!  
Ne verò quis putaret, per hunc secessum effici, ut Proximo  
suo minus quis prodesse studeat, sapienter hanc persuasionem  
in Epistola 114. ad Celsum eripere conatus est dicens: Non  
enim eò fit hic recessus, ut retraharis à tuis; imò id agimus,  
ut ibi discas, ibiq; mediteris, qualem tuis præbere te debeas.

III. Quem fructum S. Augustinus ex tali secessu retu-  
lerit, ipsemet l. 10. conf. c. 40. fatetur sequentibus verbis:  
Hoc me delectat, & ab omnibus actionibus necessitatis, quan-  
tùm relaxari possum, ad istam voluptatem refugio; neq; in  
his omnibus, qua præcurro consulens te, invenio totum locum  
anime mee, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec à te  
quidquam recedat ex me.

IV. Singulariter tamen in hoc secessu persuadendo Ze-  
losum se S. Bernardus exhibuit varijs in locis. Et primò qui-  
dem l. 1. de confid. dum Eugenium Pontificem sic alloqui-  
tur: Memento, non dico semper, non dico saepe, sed vel inter-  
dum reddere teipsum tibi; utere tu quoq; te inter multos,  
aut cerè post multos; non totum te, nec semper dare actioni  
velim, sed considerationi aliquid tui, & cordis, & temporis  
sequestrare. Et iterum eodem libro: Colligat & se intra si-  
nus, qui omnes recipit; alioqui quid prodest tibi juxta Ver-  
bum Domini, si universos lucreris teipsum perdens? Quam-  
obrem cum omnes te habeant, esto & tu ex habentibus unus,

quid solus fraudaris munere tui usquequo Spiritus vade  
 Et non rediens? Sapientibus Et insipientibus debitor es, Et  
 te negat tibi? Porro utilitatē hujus secessus, qui in confide-  
 ratione potissimum consistit, copiosè enumerat ibidē, dum ait  
 Hac cognitio affectiva primūm fontem suum, id est, mentem  
 de qua oritur, purificat, deinde regit affectus, dirigit ad  
 corrigi excessus, componit mores, vitam honestat, Et or-  
 nat, postremo divinorum pariter Et humanarum verum  
 scientiam confert. Hac est, qua agenda præordinat, actum  
 cogitat, ut in mente nihil resideat incorrectum, aut con-  
 fusione egens. Hac est, qua in prosperis adversa præsentit,  
 adversis quasi non sentit. Brevissimè verò omnes hujus  
 secessus fructus complexus est, dum in Sermone quodam  
 Cantica dixit: *Hæ considerationes sunt deliciose ad sapie-  
 rem, solida ad nutrimentum, efficaces ad medicinam.*

V. S. Dionysius in eundem sensum conspirans sic  
 ait, imò & necessitatem ejusmodi Exercitiorum indicat  
 Ante omnia maximè in Theologia, id est, in cognoscendo  
 amando DEO ab Oratione auspiciandum est, ut divinis  
 memoracionibus, invocationibusq; nos ipsos illi dedamus,  
 que uniamus. Oportet enim sanctis orationibus, Et  
 tranquilla ad divinam unionem accommodatà ad DEUM  
 ut ad boni principium adduci, Et nos ipsos ad sublimiores  
 divinorum, benigniorumq; radiorum contuitum præcati-  
 onibus comparare.

VI. Denique S. Chryostomus l. r. de orando DEO  
 cum dixisset, per hanc orandi rationem nos assequi, ut  
 mortales, & temporarij esse desinamus, naturā quidem mor-  
 tales, sed colloquio, convivitque, quem agimus cum DEO  
 ad immortalē vitam transeuntes, mox subdit: *Necessè est  
 enim, ut, qui cum DEO familiaritatem habet, Superior  
 vadat Et morte, Et omnibus, qua corruptioni sunt obnoxia  
 sicut fieri non potest, ut, qui solis radijs fruitur, non effugiat  
 tenebras.*

## §. V.

Quid Summi Pontifices de his Exerci-  
 tijs senserint.

I. Si in ore duorum aut trium Testium fiat omne ver-  
 bum

bum, duorum quoque aut trium Pontificum testimonia tantò efficacius præstantiam Exercitiorum demonstrabunt, quautò certius est Oraculum, quod ab eorum ore procedit.

II. Et primò quidem, quid Paulus Tertius, qui Exercitia hæc ad preces S. Francisci Borgiæ approbavit, de ijs senserit, ex proprijs ejus verbis facile colligere licet, dum in Bulla anno 1548. datâ sic loquitur: *Nos igitur, qui documenta & Exercitia hujusmodi examinari fecimus, & qua ex testimonio ac relatione dilecti Filij nostri Ioannis Tit. S. Clementis &c. nobis desuper facta, pietate ac sanctitate plena, & ad ædificationem & spiritualem profectum Fidelium valde salubria & utilia esse, & fore comperimus; debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius, & ab ipsa instituta Societas præfata, in Ecclesia DEI ubique Gentium producere non cessant, & ad maximû adjumentû, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò attulerunt, hujusmodi Supplicationibus inclinati, documenta & Exercitia prædicta, ac singula ac omnia in ijs contenta, auctoritate prædictâ, tenore præsentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti Patrocinio communimus, hortantes plurimùm in Domino omnes & singulos utriusque sexûs Christi Fideles, ubilibet constitutos, ut tam pijs documentis & Exercitijs uti, & illis instrui velint.*

III. Non minùs autem etiam Julius III. Successor Pauli suam de Exercitijs æstimationem prodidit, quando Gregorio Razivillio Cardinali, Vilenfî Episcopo & Fratri ejus Josepho in Villam eiusdem Julij, ut his Meditationibus animum exercerent, secedentibus Achillem Gagliardum velut peritissimum Ducem assignavit, eo successu, qui in sequenti paragrapho explicabitur.

IV. Præ cæteris tamen Alexander Septimus Iululentum de utilitate horum Exercitiorum testimonium tulit, quando anno 1665. Pontificatûs sui anno tertio, eadem non tantùm approbavit, & confirmavit, sed etiam ex propria experientia eorum utilitatem est attestatus, & ad eadem usurpanda plenarijs Indulgentijs concessis omnes his verbis invitavit: *Nos, qui probè scimus, quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christi Fidelium mensibus, devotionem eorum, qui*

operi adeò pio ac salutari vacaverint, caelestium thesaurorum Ecclesiae largitione magis incitare volentes, de Omnipotentis DEI misericordia ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis Christi Fidelibus tam prædictæ Societatis, aut cujuscunque aliorum Ordinis & Congregationis Regularibus, quàm aliis quibuslibet Ecclesiasticis & Laicis, qui in domibus memoratæ Societatis Exercitia prædicta juxta laudabilem ejusdem Societatis consuetudinem per Octidui spatium quod docunque peregerint, & interea temporis vere penitentes, confessi Sacrosanctum Eucharistia Sacramentum sumserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

## §. IV.

## Quid Cardinales de Exercitijs senserint.

I. Primus ex his meritò chorum S. Carolus Borromeus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis ducit, qui variis argumentis suam de his Exercitijs æstimationem declarat. Nam 1. ea bis quotannis iterabat, & instar Novitij in ijs aliquo è Societate non tantùm quoad interiores motus animi, & exteriores actiones dirigi, sed etiam ipsa Meditationum puncta, ante quamlibet Meditationis horam tradere solebat, uti Lancizius p. 1. opusc. 10. n. 23 r. fol. 830. testatur. 2. Ad ipsam etiam mortem se per ea velut optimam præparationem disposuit, dum in solitudinem Varalli montis secedens, & his Exercitijs vacans, & castigatione voluntaria operam, sed Christi dolorum Meditationibus suavem vitam adducens, ex eo secessu morbum contraxit, vitamque sanctissimè clausit, ut Breviarium Romanum 4. Nov. refert. 3. Dum ex Clero quoque suo, quotquot poterat, ad eadem faciendam inducebat. 4. Dum Clericos Seminarij sui in ipsorum ingressu, & ante Sacrorum Ordinum susceptionem ipsos excoli voluit; imò & in Synodo decretum fecit, ut nullus Sacerdos initiaretur Sacris Ordinibus, nisi qui per aliquos dies secedens, sacris sese ad illos Meditationibus præparasset.

5. Dum Famulos quoq; suos quotannis vacare ijsdem Exercitiis jubebat, ut cælestia & æterna crebrò meditantes, vitam piam secundùm Christi legem instituerent. 6. Dum Duci Mantuano Bibliothecam suam Visitanti, & collaudanti dicebat, se in sacco libellum ( qui Libellus Exercitiorum fuerat ) circumferre, qui plus contineret, quàm omnes Bibliothecæ suæ Codices, eò quòd Scriptores librorum cæterorum doctrinam suam ex principijs & scaturigine hujus Libelli derivârint.

II. Quid Cardinalis Burgensis senserit de his Exercitiis, sat clarè in censura Libello Exercitiorum præfixa ostendit, dum scripsit: Legimus spiritualia hæc Exercitia, placèntque nobis valde, & digna judicamus, quæ ab omnibus Orthodoxæ Fidei Cultoribus recipiantur, & magni fiant.

III. Non minorem de illis æstimationem Caspar Contarenus, Patritius Venetus, & ex Senatore Cardinalis, ætate sua ingenij & doctrinæ laude facilè princeps prodidit, dum non modò sub sancto Ignatio Magistro se exercuit, sed etiam tradita sibi Exercitia, suâ ipse manu perquam accuratè descripsit, & eundem sollicitè ab Hæredibus servari, non secus, quàm ingentem thesaurum, uti revera est, in pretio haberi voluit, uti P. Joannes Weyer in Prolegomenis Theophili §. 12. testatur.

IV. Quartum testimonium tulit, quem priori paragrapho citavi, Georgius Radzivilius Cardinalis, & Vilmæ Episcopus, qui cum Fratre suo Stanislao his Exercitiis eo successu vacavit, ut redux in Poloniam fructum, quem hauserat, per omne regnum maximo animarum lucro diffunderet, ut loc. cit. ex Societatis imaginæ p. 385. refertur.

## §. VII.

### Quid Episcopi de his Exercitijs senserint.

I. Etiam hîc in ore trium Testium stabit æstimatio, quam Episcopi de Exercitiis habuerunt. Inter quæ testimonia primus jure merito locus debetur testimonio, quod Doctor Bartholomæus Torres Lector Segonciæ, & Cathedralis Complutensis, & postea Canariensis Episcopus de illis tulit,

lit,

lit, dum, ut in historia Societatis p. 1. l. 13. n. 34. referuntur publicè pro Concione dixit, se plus Theologiæ triginta Exercitiorum diebus, quàm triginta annis inter studia Scholastica condidicisse; & licet triginta annis, quibus S. Thomam, Scotumque versabat, vix occurreret argumentum quod solvere non posset, rationibus tamen Villanovæ, cum in Exercitiis dirigebat, manibus, pedibusque fuisse instructum. Unde Segonciâ multos submittebat Doctores Præbendatos, ut vocant, Ecclesiæ illius ad Exercitia codicis P. Villanova ( qui Logicam duntaxat, & Theologia moralem audiverat ) Ductore obeunda.

II. Quid Episcopus Saluzanus, Vicarius Papæ de Exercitiis senserit, in sua de Libello Exercitiorum censuræ & approbatione clarè manifestavit, dum, ut in primis eodem Libelli paginis refertur, apertè testatus est, opus hoc omni laude dignum; & Christianæ pietati valde proficuum esse.

III. Præ cæteris tamen memorabile est testimonium præclarum, quod Basileensis Episcopus, Bruntrutani Collegij Fundator proferre dignatus est, dum, ut Annus Societatis 1601. f. 395. testantur, postquam novem diebus Exercitia Spiritualia fecisset, tantum inde fructum percepit, ut diceret: Si Patres Societatis in me nihil aliud contulerint, quàm hoc cœleste beneficium, id unum facilè æquarè omnia, quæ ego Collegii huius Author præstiti Societati.

#### §. VIII.

#### Quid Doctores Theologiæ de Exercitiis senserint.

I. Inter horum Doctorum præclara de Exercitiis testimonia meritò memorandum censetur, quod Joannes Cochleus, Canonicus Wratislaviensis, eruditione, scriptis libris solidâ Catholicæ Religionis adversus Lutheranos defensione, victorisque de Hæresiaracha Luthero reportatis orbitissimus, Romanique Regis in confesso Ratisbonensi Theologus protulit, dum, postquam P. Petrum Fabrum primum S. Ignatii Socium de scientia animæ in Spiritualibus Exercitiis à S. Ignatio tradita, & ab eo per Meditationes de Virgine Christi

Christi, aliâsque pias Exercitationes in artem, usumque red-  
 acta differentem audivisset, hæc dixisse scribitur: *Multa per*  
*Europam Scholæ & Cathedra Theologica fervuerunt, & fer-*  
*vent disputationibus. Optavi sapius, ut mystica huius &*  
*arcana aliqua saltem pateret schola, ex qua non lumen sic-*  
*cum & sterile susquereret, & sonaret pompam, sed ferax &*  
*salubre vitalem ederet charitatis ardorem, qui DEO pasci-*  
*tur, & constanter in DEVM agendo fertur. Nunc gaudeo,*  
*quod tandem inveniantur Magistri circa affectus. Quod*  
*sicut ingenti lætitiæ sensu, erectisque in cælum oculis dixit,*  
*ita, quamprimum licuit, dedit se Exercitiis excolendum, quæ*  
*expertus ita probavit, ut magnis viris, Theologis, Præfili-*  
*bûsque eadem suaserit, & tradiderit.*

II. Non minus præclarum est Testimonium, quod M.  
 Manzius è S. Dominici Familia in Complutensi Academia  
 Lector, vir gravissimus tulit, dum absque horrore dicere au-  
 sus est, pluis à se fieri Theologiam Patris Villanovæ, à quo  
 tunc Compluti exercebatur, quàm omnium ejusdem urbis  
 Doctorum scientiam.

III. His non immeritò jungitur præclarum Augusti-  
 ni Carniatij celeberrimi illius ex Augustiniano Ordine Theolo-  
 gi testimonium, qui, ut supra vidimus, cum per mensem se  
 his Exercitiis exercuisset, testatus est candidè, se, quamliu in  
 Religione vixisset, rationem aliquam, quâ rectissimè ince-  
 deret, optasse semper, eamque nunc demum, cum in hæc S.  
 Ignatii Exercitia incidisset, invenisse. Quæ quidem ille avi-  
 dissimè hausta, atque in intimum demissa pectus tanti fecit,  
 ut in ijs divinum aliquid inesse diceret, eaque deinceps in  
 alios eò libentiùs derivârit, quò ipse aut diutiùs ea quæsivit,  
 aut seriùs invenit, uti in Imag. Soc. 1. 3. refertur.

## §. IX.

Quid S. Ignatius, & alij Religiosi Societatis  
 JESU de Exercitijs senserint.

I. Quanti S. Ignatius Exercitiorum horum Author ea-  
 dem æstimârit, varijs sanè, iisque non obscuris argumentis  
 declaravit. Nam 1. ipsemet ea diligenter & constanter usur-  
 pavit, utpote quorum adminiculo, ad eam, quam miramur,  
 sancti-



sanctitatem pervenit. 2. Iisdem primos suos Socios exciuit, sibi que adjunxit, & ad idem vitæ sanctioris institutum DEO inspirante, excitavit. Ita ut verè dici possit, Societatem JESU hoc maximè melio & initio coaluisse, & post incrementum accepisse; constat enim plurimos ex illorum usu vocationem agnovisse, & præclarè implevisse. 3. Eadem etiam Societatem jam confirmatam velut aptissimum nutrimento ali, sustentari, & crescere, & perfici voluit, idque ut iis, qui in Probationibus versantur, per mensem eadem excolerentur, atque ut idem saltem per octo dies etiam alii facerent, vehementer optavit, unde Societas hujusmodi fiderii non ignara publico decreto omnes ad ea quotannis per octiduum facienda adstrinxit. 4. Voluit eorundem Exercitiorum usum esse ex præcipuis mediis ad animarum salutem procurandam, ideòque omnes hortatur, ut ad Exercitia hæc aliis tradenda per proprium usum & experientiam adhibeant, & in hoc armorum spiritualium genere tractant (quod DEI gratia ad ipsius obsequium tantopere conferuntur) dexteritatem habere possint. Id quod præcipue confirmavit, dum in Epistola anno 1536. ad Mionensem sacerdotem, qui Parisiis ipsius Confessarius erat, datâ vehementer ipsum adhortatus est, ad eadem non modò sedulo faciendâ, sed aliis etiam ferventer commendandâ & tradendâ asserens, ea esse optimum, quod in hac vita sentire, & cogitare possit, tum ut homo sibi ipsi proficit; tum ut aliorum quoque profectum efficaciter promoveat, uti in Hist. p. 1. 7. n. 132. refertur.

II. Quantopere S. Franciscus Xaverius æstimationem Exercitiis & ratione meditandi conceperit, tum ex ipso, quod eadem primò sub initium suæ conversionis peregit, feruissimum tum ex constanti per totam vitam usu constat; nam ut in vita l. 4. c. 21. refertur, antiquissimum illi erat, quotidianam divinarum rerum meditationem peragere, nec ullum diem sinebat sine cælesti hoc, sapidissimòque pabulo præterire.

III. Nec minorem S. Franciscus Borgia opinionem eisdem Exercitiis conceperat; hinc enim factum est, ut eorundem confirmationem à Sede Apostolica tam sollicitè expetierit, eò quòd (uti in Bulla Pauli III. libello Exercitiorum præfixa refertur) eâ Christi fidelibus ad spiritualia

consolationem & profectum magnopere utilia & salubria esse, non solum famâ ex plurimis locis allatâ, sed etiam experimento manifesto cum Barcinone, tum Valentia, tum Gandia compertum habuerit.

IV. Sed & B. Aloysius Gonzaga suam de his Exercitiis æstimationem apertè manifestavit, quando Josepho Spinelli Societatis nostræ Religioso per gravem infirmitatem ad extrema propemodum perducto apparens suasit, ut, si antiquam sanitatem recuperare vellet, votum faceret, Exercitia hæc Spiritualia obeundi, uti in Annal. 1632. Coll. Pannoniæ refertur.

V. P. Petrus Faber primus S. Ignatij Socius ad eò in his Exercitijs tradendis excelluit, ut ipse S. Ignatius negaret ullum illi hoc in genere parem esse, uti in Vit. l. 2. c. 19. videre est.

VI. P. Franciscus Villanova adhuc inter Externos degens tam copiosum lumen & gratiam ex Exercitijs reportavit, ut Sapientiâ, doctrinâ, Sanctitate clarissimus quisque eum consuluerit, atque velut ad fontem Sapientiæ recurreret, uti ex testimonijs D. Bartholomæi Torres, & M. Mancij §. 7. & 8. cc. patet.

## §. X.

## Quid alii Religiosi de Exercitijs senserint.

I. Primas sibi inter hos partes meritò Religiosissimus, & in Spiritualibus rebus versatissimus Lætiensis Abbas, Ludovicus Blossius vendicat, qui, quanti fecerit hæc Exercitia, sat clarè in sua ad Adrianum Lovaniensis Collegij Rectorem Epistola manifestavit, dum primùm gratias agit, quòd Ignatij precibus esset commendatus, deinde de suorum institutione per Usmarum Goissinum, Sacerdotem nostrum gratulatur, ac deinde exclamat: Utinam hoc factum esset ante annos viginti, ita enim cum senioribus multo meliùs fortè ageretur. Laudamus benignissimum DEUM, qui per vos istam rationem docuit; ex ea & ipsius DEI honor, & salus animarum, ut confido, consequetur. Unde postea semper de sua Familia binos Lovanium (ubi ipse ex cultus fuerat) misit excolendos, & eundem orandi modum à DEO sibi in

in salutari illo secessu communicatum in suo quoque Mō- nota  
sterio usurpari voluit. his E  
nimu  
& ita  
postē  
obfist  
run  
culi  
annis

II. Similem ferè fructum & sensum de Exercitijs hū- ut sub  
etiam Pater Magister Frater Ludovicus Granatensis Ordinis minā  
Prædicatorum insignè decus concepit, ut qui apertè confi- & Ple  
sus est, se in dictis Exercitijs tam illustre doctrinæ Spiritu- urber  
lis lumen esse nactum, ut ætas scribendo non sit, quod Du- statur  
tunc ad intelligendum contribuerit, ut Author Sacrorum V  
Tempe. c. 4. fol. 137. loquitur. Exerco  
sanæ  
bera  
P. Do  
liore  
V

III. His etiam meritò, ut omne trinum perfectum I  
tertius Ludovicus, Strada scilicet, è S. Bernardi religio- ut sub  
Familiâ vir in primis celebris, & non pietate minùs, qui minā  
doctrinâ conspicuus jungitur, qui (ut supra jam dictum est) & Ple  
postquam libelli hujus vim divinam in se experius fuisse urber  
expendissetque ejus efficaciam ad animos à peccandi licen- statur  
tia ad amorem virtutis traducendi, in hoc elogium verba V  
& experientia convictus erupit: *Tirocinium est toti huma- Exerco  
generi institutum.* sanæ  
bera  
P. Do  
liore  
V

## §. XI.

Quid Sæculares Catholici de Exercitijs  
senserint.

I. Petrus Ortizius Caroli Quinti ad supremum Pontificem Exerco  
Legatus, quadraginta diebus his salutaribus meditationibus ad ver  
nibus exerceri voluit, tanto animi fructu, virtutisque accu- rum  
sione, ut, quantumvis Christianæ virtutis studium antea propo  
set insignè laude professus, ab eo tamen tempore tantum ipsu  
ram vitam spiritualem duxisse se fateretur. movi

II. Alius ad Summum Pontificem à Maria Stuarta Scoto- C  
rum Regina missus Legatus, Stephanus nomine, ex primis  
nobilitate, cum, nescio quâ de causa, vehementer à Socie-  
tatis JESU Religiosis abhorreret, ubi Dublinensis Præfati  
suasus Exercitijs his vacare cœpit, tanto animi affectu Socie-  
tatem prosequi cœpit, ut ex ea nonnullos ardentissimè pete-  
rit secum in Scotiam veliendos, uti in Imagine Soc. l. 6. c. 3. I. S. u  
refertur. demo

III. In Bohemia Comites Jaroslans de Martinez, & Gu-  
lielmus Slawata, gloriose & totâ Europâ, & magis cœpit  
no Inj

nota & cara nomina sæpius imò singulis annis, Spiritualibus his Exercitiis sub directione Patrum Societatis excoluere animinum, & in ijs, operante Domino, vires animi restaurarunt, & ita confortarunt ad toleranda fortiter ea, quæ ab efferata postea Hæresi tolerarunt, & agenda pro gloria DEI, quæ obstinentibus & oppugnantibus impiis constantissimè egerunt, & ut starent magnanimi, imperterriti, & omnibus periculis, mortèque Superiores, uti fufus in Theophilo P. Joannis Weyer §. 15. proleg. videre est.

IV. Parmæ tanti olim fiebant Exercitia hæc spiritualia, ut subinde centum & plures simul exercebantur, viri & feminae, sic ut Parochi, Sacerdotesque alii etiam ea traderent, & Plebem ad Exercitiorm normam, informarent, itaque urbem aliam redderent, uti Hist. Soc. p. 1. l. 2. n. 76. testatur.

V. In eadem Historia p. 1. l. 7. n. 21. refertur, miram Exercitiis hæc existimationem accessisse ex eo, quod Messanæ Filius Baronis, quem nec trirèmes, nec Parentum verbera, compescere poterant, paucorum dierum secessu, sub P. Domineci directione vel quovis Agno mitior & tractabilior effectus sit.

VI. Similem effectum expectus est alius quidam Juvenis, uti Annæ 1619. f. 296. testantur; qui proin, cum post Exercitia absoluta admirationi se esse Parentibus, alijsque adverteret, quid admiramini, inquit, Dæmon ipse in istorum Patrum manibus converteretur. Cùmque ferventis propositi æstu alia omnia, quàm prius egerat, promitteret, ipsum jam grandævum Parentem ad eadem facienda permovet.

## §. XII.

### Quid Hæretici & Ethnici de Exercitiis senserint.

I. Quanti hæc Exercitia fecerint Hæretici, jam supra c. §. ultimo per duorum Calvinianorum exemplum fufius demonstratum est quorum primus, cùm Exercitia facere accepisset, tantam de fructu eorundem æstimationem concepit, ut dicere ausus sit, Hominem quantumvis flagitiosum

sum

sum, si illa degustaret, millies mortem oppetiturum, ut  
potiretur, utpote in quibus tantas, tamque frequen-  
tissimas gratias acceperat, ut Pater Spiritualis iisdem annotandis  
tigaretur. Inter quas gratias non minima sanè erat  
cum ardentissimum concepisset desiderium Patriam repe-  
di ad eos, qui fraude Hæreticorum decepti fuerant; ven-  
ti lucrandos, imò etiam ad vitam Martyrio ponendam  
die calendæ Martias anni 1609. effigies B. Virginis,  
singularis cultor extiterat, cum allocuta sit, spemque  
optatis votis potiundi uti in Sac. Temp. c. 2. exem-  
pluribus refertur.

II. Posterior verò, ut ibidem ex. 13. narratur, licet  
ter Hæreticos enutritus, tam copiosum ex paucorum die-  
secessu lumen adeptus est, ut in dubijs, quæ in re Theo-  
ca occurrebant, veluti de Trinitate, de Unitate in DEO  
temporis & aternitatis connexionem, de prædestinationis  
vina, alijsque hujus generis quæstionibus solutio re-  
dendo vix attingeretur, quin statim caperet, & deinceps  
congruenter de ejusmodi materijs disceret, quasi  
illis excultus esset. Unde factus est tandem in habitu Dis-  
ri suo, fieri vix posse, quin is, qui experiatur, & credat  
sibi contigerunt, convertatur ad Catholicam fidem; he-  
tè, quam ante hac magnam Orbis Universi partem  
grando frustra quæsierat, pacem, animique tranquillitatem  
in his Exercitijs reperisse.

III. Etsi verò Ethnici utpote veræ fidei lumine defici-  
es, quo nunc Exercitia fieri consueverunt, modo non  
runt, umbram tamen quandam illorum habuisse jure  
creduntur. Certè de Scipione, fortissimo illo & Sapien-  
simo Romanorum Duce legitur, quòd in Solitudinem se  
ut portum à Republicæ fluctibus recipiebat, ut inde ad  
plificandam Romani Nominis gloriam cum melioribus  
consilijs in arenam reverteretur.

IV. Quid verò Romanus Sapiens, Seneca inquam  
ejusmodi recessu senserit; Ex ipsius verbis c. 18. de brevita-  
te colligere licet: *Recipe te, inquit, ad hæc tutiora, tran-*  
*quilliora, majora. Sciturus, quis animum tuum*  
*expectet, ubi nos à corporibus dimissos natura compe-*  
*Expectat te in hoc genere vitæ multum bonarum artium*

mor virtutum atque usus, cupiditatum obliuio, Sruendâ  
 atque moriendi scientia, alta quies. Satis per laboriosa  
 & irrequieta documenta exhibitâ virtus est, major pars a-  
 tatis, certè melior Reipublica data sit, aliquid temporis sume  
 etiam tibi. Inuenies maiora, qua sepositus, & securus a-  
 gites; istum animi vigorem rerum maximarum capaciissi-  
 mum ad se revoca, animi bonum animus inueniat. Hic si  
 inquam, respirare illi, & recedere in se vacaverit. O quàm  
 sibi ipse serum totus à se fatebitur, ac dicet: quidquid dixi,  
 quidquid feci adhuc, infectum esse malle: quidquid dixi,  
 cum recogito, mutis inuideo: quidquid optavi, inimico-  
 rum execrationem puto: quidquid timui, Dij boni! quantò  
 melius fuit, quàm quòd concupui. Quid efficacius in se-  
 cessus commendationem vel à Catholico dici potuisset?

## CAPUT III.

DE MEDIIS QUIBUSDAM AD EXERCITIA  
 FRUCTUOSE FACIENDA COND-  
 CENTIBVS.

Duplicis generis media plerumque ad finem aliquem ob-  
 tinendū præscribuntur, positiva scilicet, & negativ. Pri-  
 ora sunt qualitates aliqua vel actiones positivè conducentes  
 ad finem præfixum acquirendum; posteriora sunt negatio-  
 nes aliqua vel privationes, per quas obstacula effectū impe-  
 dientia removentur, unde & *removens prohibens* vocantur.  
 Utraque autem hæc media ad Exercitia fructuosè peragen-  
 da, si non omnino necessaria, certè vel maximè utilia jure  
 merito cenferi, ideòque singulari cum diligentia adhiberi  
 debent. Qualia autem illa sint, distinctis paragraphis ex-  
 plicabitur.

## §. I.

Quæ media positiva adhibenda sint ad Exercitia  
 fructuosè peragenda.

I. Primum inter hæc media locum meritò obtinet *ar-  
 dens desiderium* magno cum fructu & alacritate ea peragen-  
 di; cum enim experientiâ quotidianâ constet, quantò ar-  
 den-

deutiùs quisque alicujus rei desiderium concepit, tantò  
 forem quoque conatum, diligentiamque adhiberi in medi-  
 ad illam rem assequendam conducentibus usurpandis, cu-  
 ritò sperari potest, eum quoque, qui ardens desiderium ce-  
 cepit fructus ex Exercitiis reportari soliti, ipsa quoque Ex-  
 citia velut medium aptissimum & efficacissimum ad illi-  
 fructum obtinendum magna cum alacritate & sedulitate  
 peracturum. Id quod rectè etiam in Directione Exerciti-  
 rum c. 2. n. 1. sequentibus verbis suadetur: *Qui ad Exer-*  
*tia agenda aggreditur, primò eniti debet ut intelligat*  
*quanta res sit, quam aggreditur, nempe qua non solum ali-*  
*quidam pertineat, sed ita pertineat, ut si modo ea diligen-*  
*ter praestet, qua debet, jacturus sit fundamenta sui spiritus*  
*profectus, qua deinde totà ejus vità usui futura sunt.*  
 quo intelligat, quantam, alacritatem, & diligentiam  
 fortitudinem etiam ad tantum opus, tantumque negotium  
 afferre debeat. Itaque statuatur ipse secum viriliter agere  
 & omnia impedimenta divinae gratiae rejicere, & omni-  
 nimsui vires intendere, ut hinc gratia cooperetur, & sic  
 eam recipiendam, quam poterit, optimè disponat. Un-  
 merito talis Exercitans Exercitia auspicaturus Salubre S. Pa-  
 li 2. Cor. 9. consilium pra oculis habere debet: *Vnusquisque*  
*prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut nece-*  
*sitate; hilarem enim datorem diligit DEVS.*

II. Secundum medium est *seria & humilis divina gra-*  
*tia imploratio*; Sic enim ipse Christus exemplo docuit,  
 antè, quam in solitudinem secederet, Exercitiis Spiritu-  
 lus vacaturus, priùs Spiritum Sanctum super se descendere  
 rem accipere voluit, ut omnes, qui simili modo & sine  
 solitudinem secessuri essent, meminissent, non citiùs tam  
 momenti negotium inchoandum esse, quam Spiritus Sancti  
 gratia à DEO postulata, & imperata fuerit. Hinc ipse Lu-  
 11. hortatur: *Petite (Spiritum Sanctum) & dabitur vobis.*  
*Si enim vos, cum sitis mali, nobis bona data dare Filiiis Sa-*  
*stris, quanto magis Pater vester de caelo dabit Spiritum vo-*  
*num petentibus se?*

III. Tertium medium est, *certorum Patronorum pro-*  
 hoc negotio *Electio*, eorum maximè, qui singularem ad haec  
 Exercitia affectum & inclinationem ostenderunt, quales  
 sunt

sunt B. Virgo, S. Josephus, S. Ignatius Confessor, & similes; cum enim ex una parte, teste S. Bonaventura de sex alis, *instabilis sit bonorum operum structura, quæ devotâ orationis frequentia non compaginatur*; ex altera verò parte experienciâ propriâ quisque cognoscat, imperfectam valde, atque adeò ad impetranda dona cœlestia parùm efficacem existere, meritò illorum Sanctorum patrocinium imploratur, qui quia gratissimi & dilectissimi DEO existimantur, efficacius possunt ejusmodi gratias impetrare; & quia ob singularem erga Exercitia, quæ sibi & alijs tam utilia fuisse experti sunt, affectum, eorundem fructum à quam plurimis participari desiderant, etiam libenter volunt easdem à DEO pro nobis postulare; ut adeò, quod nostris meritis & precibus non valeamus, multiplicatis Intercessoribus DEUS largiatur.

IV. Quartum medium est *pura Intentio*, & *certi finis præstitutio*; ut enim, qui Sagittam in incertum jacit, rarò, & non nisi temerè metam tangit; ita qui certum finem, quem in Meditationibus, alijsque exercitijs spiritualibus ob oculos semper habeat, non præfigit, non facilè optatum fructum consequentur. Qualis autem potissimùm finis præfigi debeat, bene Directorium Exercitiorum sequentibus verbis indicavit: *Ita animo constitutus esse debet (qui Exercitia aggreditur) ut libenter & avidè Exercitia hæc aggrediatur, non tam ut spirituali dulcedine fruatur, quam ut DEI voluntatem de se intelligat, suumque affectum à terrenis omnibus avellat, & cum in suo Creatore collocet.* Unde

V. Quintum, idque valde necessarium medium est *plurimum in omne DEI beneplacitum resignatio & indifferencia*, ita, ut, quidquid faciendum esse cognoverit, seriò exequi decernat; nec ullam secum deliberationem afferat, à quâ dimoveri nolit; sic enim efficeret, ut, sicut ipse terminum divinæ dispositioni ponere non erubuit, ita DEUS quoque minùs liberalem in cœlestibus suis donis communicandis se exhibeat; & nec eum quidem, quem quisque proprio arbitrio elegit, statum aut Officium prosperè administrari sinat. Quàm sanè doctrinam plùs, quàm prima fronte apparet, necessariam, jam olim S. Ignatius annot. 5. ex. 20. Sequentibus valde efficacibus verbis inculcavit: *Mirum in*



modum iuratur is, qui suscipit Exercitia, si magno animo  
 & liberali accedens, totum studium & arbitrium suum  
 offerat suo Creatori, ut ille de se, suisque omnibus id statuat  
 in quo potissimum ipsi servire possit juxta ejusdem beneplacitum.

VI. Sextum medium est *Ordinata actionum* in Exercitiis peragendarum *distributio*; per hanc quippe cum sumus certis & ordine dispositis actionibus alligetur, cavendum in primis, ne passiones eundem velut cœcum abripiant, & que facilius quieta cordis compositio, recollectioque nequeatur. Deinde verò fastidium, quod non rarò obrepere solent ijs, qui similem actionum suarum Ordinem ac divinum negligunt, obrepere vitatur, dum sua cuique functione actio succedens, nec longius, quàm oportet protrahatur, & eundam varietatem inducit, sicque efficit, ut majori & alacritate, delectationeque præscripta singulis horis Exercitia assumantur. Quomodo autem ejusmodi divisiō fieri debeat, paragrapho tertio in practico paradigmate ostendetur.

VII. Septimum medium est *accurata* in industriis, & ad singula Exercitia fructuosè obeunda à S. Ignatio in libro Exercitiorum, & ab alijs Magistris spiritualibus præscribuntur, *observatio*; Si enim S. David, uti l. 1. Paralip. 29. refertur, templum DEO ædificare volens dixit: *Ego non tem totis viribus meis preparavi impensas domus DEI, neque enim homini preparatur habitatio, sed DEO*; quanto magis Exercitans seipsum reformaturus, & in certis spiritualibus DEO dedicandum mutaturus, omnes impensas præparare totis viribus, id est, omnes industrias & conatus in peragendis functionibus spiritualibus accuratissimè adhibere debet. Ita sanè suos Societas in prima regula communium hortatur dum ait: *singuli præfinitum sibi tempus scientiæ, examinandæ, meditationi, orationi, Lecturæque impendant cum omni diligentia in Domino*. Non ignota videlicet Saluberrimi & certissimi axiomatis à Carolo hom. 3. ad Monachos prolati, dum dixit: *Quantum nos addiderimus ad studium, tantum DEVS addet ad adjuvandum: & quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam*. Quæ doctrina adeò certa S. Thomæ Aquinati est visa, ut eam infallibilem dicere non dubitaret.

zaverit, sic enim loquitur: *Quando homo facit, quod in se est, DEO movente liberum arbitrium, tunc preparatio hominis ad gratiam habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à DEO, non quidem necessitatem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio deficere non potest.* Id quod suo calculo quoque S. David dilucidè confirmavit, dum Pl. 10. dixit: *Desiderium pauperum exaudivit DEVS: preparationem cordis eorum, audivit auris tua.* Indicare videlicet volens exauditam quidem esse orationem Pauperum ob bonitatem suam, sed hujus bonitatis causam potissimam fuisse præparationem, quâ sese ad orationem ritè & fructuosè peragendam præpararant. Ita sanè B. Aloysius præter alios multos est expertus, qui, quia omnem in oratione peragenda diligentiam adhibebat, dicere solitus, animum non præparatum tam parùm posse divinam similitudinem in se recipere, quàm parùm aqua turbida humanam faciem repræsentare potest, tantam in orando ac meditando gratiam ac facilitatem est assecutus, ut, quemadmodum Author vitæ l. 2. c. 3. refert, nihil ei facilius fuerit, quàm mentem cum DEO conjunctam habere, tantùmque is difficultatis senserit in cogitationibus à DEO avellendis, quantum alij in mente DEO unienda. Hinc in ratione conscientia reddenda falsus est, si omnes distractiones, quas per semestre passus est, etiam contra voluntatem, in unum cumulum colligerentur, vix mediæ horæ spatium easdem æquaturas. Meritò ergo quisvis Exercitia sua spiritualia aggressurus sibi applicat, dictumque putat id, quod Concionatoribus non bene ad Concionem sese præparantibus dicitur; *Qui ascendit cathedram (& ad Orationem se accingit) sine labore, descendit sine honore: utpote exiguum aut nullum fructum reportaturus; nam, ut jam olim Antiqui Patres persuasissimum habebant, quales orantes solumus inveniri, tales nos ante orationis tempus debemus præparare; ex præcedenti enim statu mens atque animus in orationem formatur.*

VIII. Octavum medium est *Solitudo* seu Separatio ab omnibus hominibus, exceptis ijs, cum quibus necessariò est agendum, quales sunt Director, Minister, & similes. Ita enim iterum exemplo suo præclare Servator docuit, dum orationi longiùs vacuturus in Eremum secessit, ut, quò remo-

tior foret ab hominibus, tantò facilius, liberiúsque cetero suo Patre agere, & colloqui posset, animúmque magis collectum retineret; nam, ut bene pius Asceta l. 1. de vita Christi c. 20. dixit: *Qui se abstrahit à nativis & amicis, propinquabit illi DEVS cum Angelis sanctis.* Hinc ultro hortatur: *Claude super te ostium tuum, & voca ad te SVM, dilectum tuum. Mane cum eo in cella, quia non venies alibi tantam pacem.* Quam ipsam ob causam etiam S. Ignatius annot. 20. suadet Exercitanti, ut ab ædibus proximis migret in domum, cellámve aliquam secretioris, unde ipsi liberum sit egredi ad matutinum, Sacrum Missæ, vel ad Vesperarum Officium, cum libuerit, audiendum, & que familiari cujusquam interpellatione; additque, ut majorem ipsum facturum vitæ spiritualis progressum, quanto magis ab Amicis, notisque omnibus, & ab omni cura humanarum sollicitudine sese abduxerit.

IX. Nonum denique & postremum medium est castigatio aliqua corporis voluntariè suscepta, si ve per cibi & somni subtractionem, si ve per cilicium & flagellorum moderatum & prudentem usum; sic enim DEVM magis sibi placabit, variásque ab eo gratias facilius impetrabit, & seipsum vincere discet, inferiorem sui patris quæ sensualitas appellatur, Superiori, hoc est, rationi magis subjiens, uti S. Ignatius in additione decima advertit, hinc nempe ipse Christus, dum in solitudine vixit, jejunio & humicubatione, aliisque modis corpus castigavit, ut suo exemplo doceret, quàm grata DEO sit hæc voluntaria carnis castigatio ac subjectio, quàmque aptè societur orationi, ut hæc tantò efficacius penetraret cælos, nec recedat donec audiat altissimus.

## §. II.

Quæ media negativa adhibenda sint ad Exercitia fructuosè obeunda.

I. Per media hæc negativa nihil aliud hoc loco, ut præ dictum est, intelligitur, quàm impedimentorum, quæ fructum Exercitiorum impedire solent, efficax remotio; quorum quidem impedimentorum etsi quamplurima enumerari possent

possent, ad quatuor tamen species à S. Bernardo rectè revo-  
cantur, videlicet ad culpam mordentem, curam pungentem,  
affectum vigentem, & tribulationem cruciantem; quæ pro-  
inde quomodo efficaciter removeri possint, ac debeant, paulò  
fufius nunc ostendendum est.

II. Primum itaque impedimentum *Culpa mordens*, id est,  
omne peccatum, maximè paulò gravius, per pœnitentiam  
necdum deletum dicitur, quod proinde ante ingressum Exer-  
citorum per seriam confessionem, aut saltem intensam con-  
tritionem tantò studiosius removendum est, quantò certius  
est, per eiusmodi peccatum fiduciam hominis ad DEVM im-  
pediri, atque adeò potissimum Exercitorum fructum auferri;  
ut enim inter illos Amicos, quorum alteruter injustè of-  
fensum se arbitrat, nunquam vera fiducia & amicitia sub-  
sistere potest, ita nec inter DEVM & Hominem vera fami-  
liaritas & communicatio mutua intercedere potest, quam diu  
Homo DEVM sibi per peccatum offensum & minùs faventem  
agnoscit, cum semper memoriæ obversetur illud Evan-  
gelici cæci curati effatum: *Scimus, quia Peccatores DEVS  
non audit, sed si quis DEI cultor est, & voluntatem eius fa-  
cit, hunc exaudit.* Jo. 9. Hinc dilectus Christo discipulus  
hujus veritatis perquam gnarus c.4. primæ suæ Epistolæ tam  
sollicitè monet: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit  
nos, fiduciam habemus ad DEVM, & quidquid petierimus,  
accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea,  
quæ sunt placita coram eo, facimus.* Et hoc forsitan est, quod  
Christus per Baptismum S. Joannis, antè, quàm in solitudi-  
nem secederet, susceptum indicare voluit, non quòd ipse  
peccatis obnoxius fuerit, & baptismo indigerit, sed ut ex-  
emplo suo nos doceret, non citiùs ad familiare cum DEO  
colloquium accedendum esse, quàm per pœnitentiæ bap-  
tismum omnia, quæ DEVM offensum habere meruerunt, pec-  
cata fuissent deleta.

III. Secundum impedimentum *Cura pungens* à Sancto  
Bernardo vocatum (per quam nihil aliud, quàm nimia de  
officiis & negotiis sollicitudo intelligitur) meritò non po-  
tremum inter Exercitorum impedimenta locum obtinet;  
cum enim eiusmodi curæ totum propemodum hominem ad  
se rapiant, hoc ipso ineptum efficiunt, ut animum, mentem-

que sursum ad DEVM eleuet, cum eo que, ut par est, agere colloqui que possit; id quod jam olim S. Paulus rectè adreterat dicens 1. Cor. 7. *Volo vos sine sollicitudine esse; qui in uxore est* (idem sentiendum de negotiis quotidianis) *sollicitas est, qua Domini sunt, quomodo placeat DEO. Qui in rem cum uxore* (aut aliis negotiis implicatus) *est, sollicitas est, qua sunt mundi, quomodo placeat uxori* (& negotia, officiaue sua administret) *& diuisus est.* Hinc meritò is, qui Exercitia fructuosè obire cupit, præclarum S. Bernardi exemplum sequi debet, qui in templum ad orationem secedens ante januam templi curis suis & negotiis dixit: *Manete & requiescite, donec vadam illuc & orem, iterumque ad redeam.* Nec timendum est, ne, dum negotia ejusmodi propter DEVM seponuntur, ullum ex tali sepositione damnum sibi, aut Proximo sequatur, ut enim Messores, dum falces acuunt, nihil de laboris sui successu perdunt, sed potius acciunt, ut postea majori cum facilitate, celeritatè que eundem laborem absolvant; ita dum ad tempus curæ officiorum negotiorum intermittuntur, nihil detrimenti timendum, magis copiosior potius fructus, feliciòrque eorundem successus sperandus est, cum, ut sapienter nonnemo aduertit, lucrum quod propter virtutem despicitur, per virtutem melius recuperetur. Hinc, ut alibi jam insinuatum est, rectè S. Hieronymus epist. 114. ad Celant. scripsit, *non eò fit hic recessus, ut retraharis à tuis* (negotiis & officiis) *imò id agimus, ut ibi discas, ibique mediteris, qualem tuis præbere te debeas.*

IV. Tertium impedimentum est affectio rigens, inordinatus erga rem quampiam creatam amor, qui quantopere fructum Exercitiorum impediatur, pulchre indicat præfatus Asceta l. 3. c. 31. dum ait: *Nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit liberè intendere diuinis.* Idem enim pauci inveniuntur contemplatiui, qui a paucis sciunt se à perituris & creaturis ad plenum sequestrare. Est magnum impedimentum, quia in signis & sensibilibus rebus fixatur, & parum de perfecta mortificatione habetur. Si essemus nobis ipsi perfectè mortui, & interius minimè implicati, tunc possemus etiam diuina sapere, & de cælesti consolatione aliquid experiri. Nimirum ut is, qui velum aut puluerem super oculos habet, apertis etiam oculis videre nihil potest.

ita qui interiorem mentis oculum inordinato quopiam affectu obscuratum habet, cœlestia contemplari non potest. Hinc rectè S. Ignatius in 16. annot. monet, quòd, ut Creator ipse, Dominusque noster in creatura sua certius operetur, si accidat animam ad aliquid minus rectum affici atque inclinari, summopere ac totis viribus nitendum sit in contrarium; & affectus ad oppositum impelli debeat per assiduas orationes & alia Exercitia pia, in quibus à Clementia DEI oppositum petatur.

V. Quartum & ultimum impedimentum est *Tribulatio crucians*, seu molestia quæcunque sive corporis, sive animi, qualis Exercitiorum tempore multiplex plerumque occurrere solet, ijs præcipuè, qui assueti non sunt ejusmodi sacris Meditationibus, quibus tum ipsa interdum solitudo, tum meditandi & orandi labor, tum collectionis contentio, tum ariditatis & desolationis præsentia; tum ipsius denique dæmonis à bono proposito abducere molientis impugnatio, non levem molestiam & fastidium creare, atque adeò non modicè etiam à felici Exercitiorum successu impedire solent; quæ proinde tribulationes diligenter prius prævidendæ, animusque contra illas generosa resolutione, firmissimoque decreto, quidquid in simili genere evenerit, forti & constanti animo tolerandi, & superandi muniendus est; *minus enim*, teste S. Gregorio hom. 35. in Evang. *jacula feriunt, quæ prævidentur, & tolerabilius mala mundi suscipimus, si contra hæc per præscientia clypeum munimur.* Itaque exemplum Abrahami sequi debet Exercitans, & sicut is ad montem Visionis ascensurus, ignem, lucem, & gladium secum tulit, ita & is, qui ad Exercitia hæc velut aprissimum locum Visionis DEI accedere cupit, ignem fervoris & desiderij, lucem & perspicaciam intellectus, ac gladium denique generosæ fortitudinis & constantiæ secum portare debet, certò sibi persuadens, eum, qui perseveraverit usque in finem, & omnes difficultates fortiter superaverit, salvum futurum, id est, optatum Exercitiorum fructum reportaturum, & veritatem promissi, quod DEVS Apoc. 2. fecerat, experturum. *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen novum* (scilicet Viri secundùm cor DEI) *quod nemo novit* (quoad efficaciam suam) *nisi qui accipit.*

§. III. Qua-

## §. III.

Qualis Ordo diurnus in Exercitijs sit  
servandus.

I. Cùm non solum in ipsis Exercitijs, sed etiam illa valdè expediat, ut certum sibi quisque ordinem suum per diem perficiendarum juxta conditionem sui conficiat, & accuratè observet, ideo proderit quoque ta, quæpiam generalia præmittere, quibus, quid circa Ordinem observandum sit, indicetur; & tum primum ordinem in particulari assignandum procedere.

## MEMBRUM I.

*Monita generalia pro Ordine diurno consiciendo  
& observando.*

I. Ut solidam circa hunc Ordinem Instructionem, lémque praxin quis acquirat, similitudinem Horologii oculos semper habeat, atque ad eò actiones quidem suas rologio similes, sibi verò curam huius Horologii dirigere commissam esse existimet.

II. Sicut itaque Carolus Quintus Civitatem quam ingressus primum intuitum in universale Urbis Horologium fixit, & ex eo bene vel malè directam esse Rempubliam collegit, ita certò sibi quisque suadeat, Animæ suæ Statum & profectum ex nullo clariùs ac certius, quàm ex actionibus suis quotidianis ordinatis & peractis intelligi posse. Hanc sanè ob causam Ascera unanimiter semper judicârunt, nihil æquè ad rectè instituendam conducere, quàm ut convenientem quisque functionum suarum Ordinem constituat, sedulo & constanter observet, per hunc quippe cavere, siones tanquam cæcum abripiant; & ne multæ temporis ticulari ignavo otio perdantur; è contrario verò magnæ cordis compunctionem & quietem (eò quòd certis ac natè dispositis actionibus alligetur) parèmq; recollegis & Examinis quotidiani facilitatem induci, quæ non parùm utique juvant, ut non exigua de Ordine tali

matio concipiatur, nec minor in eo conficiendo, & observando industria adhibeatur.

III. Sicut Horologium in certas divisum horas esse, suumque indicem habere debet, qui horas ordinatè indicet; ita suas quoque quemvis actiones in certum Ordinem redigere, &, quid quovis tempore agere debeat, aut velit, accuratè perpendere, ac definire, memoriæque (quæ indicis vim habet) firmiter imprimere debere. Quâ tamen in re bene advertunt Ascetæ, vix universalem modum & regulam assignari posse (maximè apud eos, qui nulli Religioni, modoque certo vivendi per Leges sunt adstricti) sed quemvis sibi ipsi, naturam, & officium, aliàsque circumstantias considerando, accommodatum ordinem conficere debere.

IV. Sicut horarum in Horologio distributio, totusque Horologij cursus non arbitrio Directoris, aut Artificis, aut aliorum Hominum, sed Solis cursui & directioni conformandus est, ita in actionibus quoque suis ritè ordinandis & peragendis non propriam cujusque voluntatem & desiderium, sed solam DEI tanquam supremi finis voluntatem ac beneplacitum attendendum esse. Quid autem DEVS à nobis fieri velit, & quo modo, partim ex Superiorum mandatis, partim ex Officii suscepti qualitate, partim ex rationis divino lumine illustratæ dictamine, partim ex Virorum Spiritualium atque Prudentum directione, aut etiam librorum lectione colligi debet.

V. Sicut, ut index Officio suo ritè fungatur, totusque Horologij cursus ordinatè absolvatur, necesse est, ut omnes rotulæ, partèsque interiores solium motum teneant; ita ut actiones quotidianæ rectè perficiantur, omnes tam interiores, quam exteriores animi potentias, virèsque applicandas esse, ut jure quis cum Davide dicere possit: *Totus viribus preparavi impensas Domus Domini* (seu actiones meas quotidianas peregi) *non enim homini preparatur* (seu peragitur) *sed DEO.*

VI. Sicut ut dictæ rotulæ, aliæque partes Horologij solitum motum perficiant, certa pondera, quæ illum motum producant, appendi debent; ita voluntatem quoque, aliàsque Potentias ad ritè, alacritèrque operandum per pondus legitimæ intentionis, præcipuè amoris gemini erga Deum  
& Pro-



& Proximum ( juxta illud S. Augustini : *Amor meus, pro meum : hoc feror, quocumq; feror* ) excitari & moveri debet.

VI. Sicut Director Horologij, ut munere suo ritè agatur, frequenter visitare Horologium, rotulâsq; accipere partes inungere solet; ita qui actiones suas ritè perficit, frequens & accuratum circa Ordinis diurni à se observatorem Examen instituere, & si quidem potest, suas tardiùs ad operandum moveri advertat, eas ardentius meditatione, aut alijs convenientibus medijs excitare, & inungere debet.

## M E M B R U M I I.

### *Monita specialia de Ordine diurno in Exercitijs observando.*

I. Circa hunc Ordinem ante omnia monendum non posse Regulam universalem pro omnibus Exercitijs præscribi, cum enim, ut S. P. Ignatius rectè in art. 18. advertit, Exercitia juxta ejus, qui exercetur, habitum & capacitatem, necessitatèmq; accommodati, aut adeò uni pauciores, alteri plures horæ ad meditandum præscribi debeant, hoc ipso etiam Ordo diurnus juxta numerum Meditationum aliter & aliter confici debet. Quia tamen plerumque tres horæ Meditationi, & una Considerationi assignari solent, ideo huic numero potissimum præfens Ordo diurnus accommodabitur; ex hujus enim prælectione erit illi, qui pauciores Meditationes præscriptas habet, & facile, alium sibi accommodatum Ordinem conficere. Quod quæ hoc loco de numero Meditationum dictum est pari modo de horis somno attribuendis sentiendum est; unde et plures ejusmodi Exercitia obire soliti plerumque non ante quintam Matutinam surgunt, secundùm horum quoque consuetudinem horæ diurnæ dividuntur; qui enim horâ quartâ aut citiùs surgere voluerit, facilè Meditationem primam antea horâ anticipare, & reliquam horam superfluam aut leviore Læctioni spirituali, aut alicui corporali, & non tantùm distractivo aut laborioso operi impendere poterit.

II. Quintâ igitur horâ excitatus à somno is, qui exci-  
cetur, memor sit salubris præcepti ab Ecclesiastico c. 3. v. 1.

ti, dum ait: *Horâ surgendi ne te trices, præcurre autem prior in domum tuam.* Celeriter ergo se ex lecto proripiat, & ubi vestibus se induerit, aliâque de more peregerit, ad visitandum, si commodè fieri poterit, Venerabile Sacramentum in templum se conferat, aut eminus certè veneretur, totiûsque diei cogitationes, verba, & opera cum purissima intentione ad Majestatis divinæ gloriam, proque sua & Proximorum salute offerat, aliâsque consuetas preces matutinas piè & religiosè perfolvat, certò sibi persuadens, ab hujus primi Operis felici successu totius diei devotionem pendere; ut sapienter P. Jacobus Alvarez in lib. de vita rectè instituenda advertit. Ad hoc autem faciliùs præstandum, fervorèque excitandum non parùm proderit sibi persuadere, perinde esse, dum à somno quis surgit, ac si eo ipso momento primùm creatus esset à DEO, ut eo saltem die ipsi debitum servitium præstaret, & amaret, ad hoc enim conceditur vita præsentis diei. O si beatus aliquis annihilaretur à DEO, & postea de novo crearetur cum pristinis dotibus, quàm rapidissimo impetu in ipso momento recreationis proueret tota voluntate in pulchritudinem & amabilitatem DEI. Aut si damnato alicui hæc gratia fieret, ut resurgere, veniamque peccatorum olim commissorum per seriam pœnitentiam obtinere, cælumque promereri posset, quàm incredibili fervore se DEO traderet, totâque vitam cum summa sanctitate, perfectioneque transigeret. Quidni ergo quivis homo simili cum fervore quemvis diem transigat, cum planè per somni abruptionem simile resurrectionis beneficium acceperit, atque adeò similem fervoris causam habeat.

III. Mediâ Sextâ prima Meditatio instituetur, quæ quidem ut omnibus numeris absoluta sit, summopere laborandum est, cum commodum illius non ad illam duntaxat horam, sed integrum diem se extendat, perinde ut modicum fermentum totam massam fermentat. Primò itaque ad illam diligentissimè se præparabit Exercitans, additionesque omnes à S. Ignatio & alijs Ascetis præscriptas observabit, memor axiomatis suprâ citati, quo dicitur, DEVM tantùm adjecturum ad adjutorium, quantum nos ad diligentiam apposuerimus. Deinde verò peractâ Meditatione Examen breviter instituet inquirendo I. An & quâ occasione distractus fuerit.

fuerit. 2. An modum debitum in Meditatione adhibuerit additionesque observaverit. 3. Quæ lumina spiritualia proposita conceperit, & quomodo ea exequi velit. Poterit autem hæc lumina breviter annotari, ut suo tempore esse possint. Tum actus de felici successu gratijs, aut elisi de negligentijs dolore, & emendandi proposito, poterit prima & tertia hora ex Breviario vel Officio B. Virginis recitari, & his finitis lectio capituli ex libello de imit. Christi cognati subijungi.

IV. Horâ Septimâ Sacrum audiri vel legi poterit, ut debita cum reverentia ac devotione fiat, hoc unum præderasse sufficit, quòd hoc Sacrificium omnia alia Sacrificia quocumque tempore oblata tum quoad dignitatem, tum quoad valorem infinito intervallo excedat, atque adeo hoc justius dicatur, quàm olim Præco ante Sacrificium obrendum clamare solebat: *Hoc age.*

V. Finito sacro lectioni spirituali vacabitur, incurandum 1. Ut non multi Libri, sed unus vel alter duxerit; nec temerè arreptus, sed studiosè selectus, & præcipuo Scopo accommodatus legatur. 2. Ut, quemadmodum præ Asceta l. 1. de imit. c. 5. rectè monet, omnis scriptura facit eo Spiritu, quo facta est, legatur, sed & ipsa lectio humiliter simpliciter, & fideliter peragatur.

VI. Mediâ Nonâ præparatio ad secundam Meditationem per quadrantem circiter instituetur, eidemque ipsa Meditatio per horam subijungeretur, uti & reflexio super hanc consueta, post quam sexta & nona hora ex Officio diurno aut B. V. recitabitur, & vel Examen conscientie breviter subijcietur, vel lectio spiritualis ex pio libello, aut luminibus annotatis peragetur.

VII. Post hæc prandium sumetur; quod quidem ut profructuosè accipiatur, animùmque ad Exercitia reliquæ diei peragenda juvet potius, quàm inhabilem efficiat, curandum imprimis est, ut præmittatur benedictio, & gratiarum actio cum debita reverentia & devotione subijungatur. Deinde ut modestia, decentia, & temperantia interiùs, exteriorisque fervetur. Denique ut, dum corpus reficitur, etiam animæ sua refectio tribuatur. Quæ omnia ut exactius observentur, non parùm proderit, Regulas ad victum redigere.

temperandum à S. Ignatio in libello Exercitiorum præscriptas ob oculos habere; quarum prima est, quòd à pane minùs abstinendum sit, quàm à reliquis alimentis, cum neque gulam adeò irriter, nec tentationi æquè obnoxios nos reddat. Secunda, quòd circa potum attendenda sit magis abstinencia, quàm circa panem; cautè observando, quæ profit mensura potùs, ut sumatur semper; quæ rursus noceat, ut tollatur. Tertia, quòd circa pulmenta & edulia potissimùm abstinencia ratio versetur, cum per illa, tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum, major subministratur occasio. Temperanda sunt igitur vitandi excessus causà, quod fit dupliciter, dum vel cibis grossioribus vescimur, atque asuescimus, vel dum parcè delicatis utimur. Quarta est, quòd, quantò plùs de conveniente victu sibi quis ademerit (vitato interim valetudinis adversæ gravi periculo) tantò celerius mensuram sibi & potùs justam reperiet; tum quia hoc modo meliùs se disponens, & obnixiùs tendens ad perfectionem, sentiet interdum quosdam cogitationis internæ radios, & consolatorios motus sibi cælitus immisos, ex quibus facillè poterit rationem victùs commodiorem discernere: tum quoniam si quis ita abstinendo, se deprehenderit viribus imbecilliorum esse, quàm ut Exercitia spiritualia peragere commodè valeat, sic facillè advertet, quam mensuram victùs naturæ necessitas requirat. Quinta, quòd expedit inter comedendum imaginari, quasi videamus JESUM Christum Dominum nostrum vescentem cum suis Discipulis, observando, quem teneat edendi, bibendi, respiciendi, & loquendi modum, eundemque ad imitandum nobis proponendo. Usuveniet enim, ut intellectu magis occupato circa meditationem talem, quàm circa corporalem cibum, discamus faciliùs victum moderari. Sexta, quòd gratià varietatis aliæ adhiberi possunt Meditationes inter vescendum, ut sunt de Sanctorum vita, de pia quâpiam doctrina vel aliquo spiritali negotio agendo, unde sic abstracta mente, cibus ipse & vescendi delectatio parùm sentiatur. Septima, quòd cavendum sit præcipuè, ne super sumendos cibos animus quodammodo totus effundatur, & ne avidè vescamur, aut festinè, sed appetitui semper dominantes, tum mensuram victùs, tum sumendi modum unà temperemus. Octava est,

Instruã. VIII.

G

quòd

quod plurimum conducit ad tollendam cibi potusque moderantiam, si ante prandium aut cenam, & quacumque hora nulla esuries sentitur, prævia deliberatione definita mensuram certam, quam deinde nullâ vel propriâ aviditate vel instigatione inimici, unquam excedamus, sed vincendæ utriusque causâ, de illa nonnihil etiam scribamus.

VIII. Post mensam recreatio quidem per manuale exercitium, vel singulare cum uno, alterove Socio colloquium institui poterit, sed summopere cavendum, ne Spiritus in superiori conversatione intepefeat, sed potius juxta S. Ignacii nitum curetur, ut modestia & ædificatio appareat, tum verbis, tum in ratione ac modo loquendi. Quem in proderit DEVM in medio Colloquentium præsentem imaginari, & illa Christi olim ad Discipulos in Emmaus prolata verba: *Quos sermones consertis invicem? repetere imaginari.*

IX. Horâ duodecimâ Venerabile Sacramentum, si necesse est, & commodè fieri queat, visitari poterit, eidemque meridiana quoque opera cum purissima intentione & devotione dedicari, petendo demissè gratiam & benedictionem DEI, ad eadem perinde, ac matutina fructuosè peragenda. Sed de vel parùm somno indulgeri, vel aliquid scribi, vel aliquid quid non multùm occupans animum (cùm hoc tempore seria negotia parùm idoneum sit) agi potest.

X. Horâ primâ Vesperæ cum Completorio recitandisque finitis lectio spiritualis libri, maximè Historici alicujus Sancti, qui simili in Statu vivens, perfectam virtutum virtutum Vocationi convenientium ideam reliquæ subiungi usque ad secundam horam poterit, quâ audita Consideratio de præscripta materia ad inspectionem & reflectionem Status potissimum spectante tantò majori cum ratione atque fervore instituetur, quantò copiosior fuerit que fructus ex ejusmodi consideratione, quàm ex alijs exercitijs reportari solet, ut alibi dictum est.

XI. Horâ tertiâ vel Manuale aliquod Exercitium accipi, vel lectio spiritualis libri doctrinalis peragi, vel quid ad reformationem Status pertinens annotari poterit, aut etiam Rosarium, aliæve similes orationes vocales cujusque devotione & arbitrio recitari.

XII. Horâ quartâ Matutinum cum Laudibus dici, & post solitam præparationem ad tertiam Meditationem, hæc ipsa Meditatio per horam subungi potest; quâ finita post consuetam reflexionem, vel visitabitur iterum Venerabile Sacramentum, & gratiæ pro felici successu hujus diei ageatur; vel aliquid ad solatium & ædificationem propriam utile legetur.

XIII. Post Sextam cœna sumetur, in qua eadem observare par est, quæ in prandio observanda supra diximus, uti & in receptione, quæ ipsam etiam cœnam subsequetur, & usque ad horam octavam continuabitur.

XIV. Horâ octavâ Litanîæ vel de omnibus Sanctis, vel de B. Virgine dici poterunt, quibus brevis præparatio ad Meditationem sequentis diei, & post hanc Examen Conscientiæ subjungetur, quod quidem tantò majori fervore & diligentia faciendum erit, quantò major ex eo fructus meritò sperari potest; S. Ignatius certè eodema velut uno ex magis idoneis instrumentis ad perfectionem assiduò est usus; nec immeritò; Est quippe tale Examen, ut rectè advertit P. Joannes Nierenbergius in l. de adorat. officina, in qua timor DEI, compunctio, cognitio sui, humilitas, prudentia, & perseverantia excuditur. Sed & ad rationem olim DEO de actionibus nostris facilè reddendam, efficacissimum est remedium, cum DEVS idipsum bis judicare non soleat, clarèque per S. Paulum 1. Cor. 9. dixerit: *Quòd si nosmetipsos dicimus, non utique judicabimur.* Quis ergo nolit in hac vita seipsum Judicem eligere, & sustinere, quàm severissimo Superni & tremendi Judicis tribunali se judicandum committere?

XV. Finitâ sui discussione in lectum pro somno capi-  
endo recedere licebit; qui ut cum bona intentione, solius scilicet beneplaciti divini, &, ut alacrior quisque ad solitos pro DEI gloria & salute Proximi labores redeat, suscipiatur, summopere conandum est, ut, sicut sceneratores etiam dormientes augent divitias suas, ita &, qui dormit, Exercitans meritum virtutum & gratiæ multiplicet. Et sanè si una ex parte perpendatur, quàm gravis molestia Homini DEVM amantanti sit somnus, utpote non corporis duntaxat, sed animi etiam operationes impediens, atque adeò à DEI amore & laude

laude non modicè impediens, non leve meriti augmentum præmiūque à DEO sperari poterit, si debita cum patientia atque in divinam voluntatem resignatione ejusmodi ministeria suscipiatur. Hoc ergo salubri præsidio instructus, ut velut sepulchrum conscendat, & quemadmodum S. Bernardus in prima additione suadet, inter cogitationes proximè de Meditatione prima sequentis dici, in Domino dormiscat.

## §. IV.

Modus facillimus meditandi paulò fustius proponitur.

I. Inter varios modos meditandi suprà, cùm de Meditatione ageretur, indicatos, is non immeritò facillimè dicitur peritissimorum Ascetarum est judicatus, qui peritior quæstiones instituitur, videlicet ut 1. quærat, quod est primum punctum præsentis Meditationis? 2. Quod hoc puncto considerandum est? 3. Quid utilitatis spiritibus ex eo hauriendum? 4. Quid super his cum DEO exercitatis colloquendum? hic namque modus uti non ad speculativas discussiones, sed ad profectum duntaxat in vitiorum fugam virtutum exercitio ordinatus est, ita à quovis etiam, literato & indocto, facillè capi & exerceri potest; unde ipsi præcepti qui in meditando parùm sunt exercitati, suaderi solet, ut paulò uberiores ejusdem explicationem à pio quodam bene exercitato Asceta traditam huc apponere.

## QUÆSTIO I.

Quod est punctum præsentis Meditationis?

Ad hanc quæstionem respondebit Exercitans proponendo sibi Materiam, quam pro puncto quovis considerandum sumpsit, eamque breviter historico modo vel alio modo & quasi sibi ipsi narrabit, moxque circa illam utpote à Deo revelatam ( si quidem talis sit ) actum fidei, aliarumque virtutum eliciet hoc vel simili modo: *O mi amantissime Deo credo firmissimè te hanc nobis veritatem revelasse, ut quæ tam pro hac, quam pro omnibus à se revelatis doctrinis*

us sum vitam & sanguinem cum tua gratia ponere; ac pro-  
pterea te Dominum ac DEVM meum, summè bonum reve-  
reor, & veneror, adoro, ac diligo, ideoque nunc denuo sanctissi-  
mum tuum beneplacitum sollicitè indagabo, & constanter  
adimplere conabor. Adauge, mi DEVS, fidem istam in me;  
da mihi intellectum, ut discam mandata tua, & com-  
pleam illa.

O SS. Virgo MARIA, O Sanctissime mi Custos Angele,  
O S. P. Ignati, O N. N. & vos reliqui SS. Patroni mei, ora-  
te, quaeso, pro me, & felicem Meditationis hujus successum  
mihi impetrate.

## QUÆSTIO II.

## Quid circa hoc punctum considerandum.

I. Ad hanc quæstionem resolvendam considerandæ sunt  
Personæ, verba, actiones, circumstantiæ.

II. In Personis considerari potest ætas, dignitas, forma,  
sexus, robur, firmitas, educatio, nobilitas, modestia, reve-  
rentia.

III. In *Verbis* considerandum est, à quo dicantur, ad  
quem, quo fine, quâ occasione; quid velint, an aliquid præ-  
cipiant, prohibeant, commendent, reprehendant, petant,  
permittant. Considerari etiam possunt singulæ voces, & ea-  
rum energia &c. Si non adsint verba, tum vel perpendi po-  
test, quid probabiliter tales Personæ dicere potuerint; vel  
certè ipsum silentium cum indicatis circumstantiis conside-  
rari potest.

IV. In *Actionibus* natura earundem secundum se, an sci-  
licet bona vel mala, virtuosa, vel vitiosa sit, consideranda est.  
Deinde verò ejus qualitas accidentalitatis ex circumstantiis in-  
daganda est.

V. In *Circumstantiis* considerandus imprimis est *Locus*,  
in quo peracta est actio; an scilicet domi vel foris, in templo,  
campo, monte, clam, in oculis hominum, loco nobili vel  
ignobili sit facta. Deinde *Tempus*, videlicet in qua ætate,  
parte anni, die vel hora, luce vel tenebris, festo aut profesto  
sit exercita. Postea *Modus* perpendendus est, an sponte vel  
coactè; an hilariter, vel eum tristitia; an celeriter, vel tardè;



an solitariè vel cum alijs; an præsentè consolatione vel solatione; quo affectu; quibus adjuventis aut impedimentis &c. Post modum finalis *Causa* indagari poterit; nempe motivo talis actio peracta sit, an ad DEI gloriam, honorem, aut propriam salutem & felicitatem procurandam, aut satisfactionem pro peccatis præstandam, aut variam sibi, alijsque impetranda; aut ad bonum exemplum primo præbendum. Denique *effectus* etiam inde considerari potest; quàm magnum scilicet meritum sibi alijs, quàm magnam perfectionem, gloriam, honorem vorè apud DEVM & homines; aut certè his contrariè pararit is, qui talem actionem peregit.

VI. De quibus tamen omnibus quatuor materiis notant Ascetæ, non esse opus, ut omnes semper tam èntè examinentur, sed sæpe sufficere, si una vel altera materia ipsa dictat, vel prout citius vel tardius documen- elucet, vel affectus conturgit, perpendatur. Unde scidum est, ut in præparatione quasi prælibetur, quænan- cumstantiæ utiliter perpendi, aut quæ doctrinæ erui pot-

### QUESTIO III.

#### *Quid utilitatis spiritualis ex hac consideratione hauriendum.*

I. Hæc utilitas generatim ad duo capita revocari potest, videlicet ad *Affectus* varios pièque eliciendos, & ad *Meditationis* propositum, studiùmque procurandum, sine quo *superiore* fructu prior non magni æstimandus est, cum ad DEI, qui in ejusmodi Meditationibus velut postremum quæritur, in operibus potius, quàm suavibus affectibus consistat.

II. Inter *Affectus* itaque primum sibi locum vult *Fides*, quæ ex suprema veracitate DEI, & tam multis modis ad veritatem articulorum & mysteriorum Fidei demonstrandam patris oritur. Deinde *Spes*, quæ tum maxime concipitur juxta S. Bernardum, si *charitas adoptionis, & gratias promissionis, potestas redditionis* bene perpendatur. *Amor*, ad quem summa imprimis Bonitas, seu bonorum omnium Collectio in DEO velut fonte purius, recensita

abundantiùs reperta; dein etiam præveniens amor tot beueficiis demonstratus, & confirmatus maximè alliciunt; ex hujus quippe motivi consideratione erumpit anima in illa S. Bernardi verba: *Amat charitas, amat immensitas, & nos vicem rependimus cum mensura?* Amori propinquus est *Congratulationis* & *Congaudi* affectus, cum enim amans amatum ut alterum se consideret, & amet, hoc ipso etiam de ipsius bonis perinde ut suis gaudet, atque adeò ex animo etiam gratulatur. Sed & *Admirationis* affectus, & *Laudis* plerumque cum Amore conjuncti sunt, quorum prior ex consideratione perfectionum, & operum ab Amato patratorum copià & præstantiâ exurgit, posterior verò ex æstimatione eorundem oritur; quemadmodum & *Reverentiæ*, quæ à considerata dignitate & Authoritate Personæ gignitur: & *Adorationis* affectus, quem sive latens divinitas, sive supernaturalis eminentia considerata generat. Quia verò variæ calamitates interdum contingere possunt illi, qui amatur, ideo *Condolentiæ* & *Compassionis*, ut vocant, affectus excitatur, & quidem tantò vehementiùs, quantò clariùs cognoscit amas, se miseriarum tantarum causam sive peccatis suis, sive alia quacunque ratione exitisse.

III. Et hi quidem præcipui *Prosecutionis* sunt affectus; non minorem tamen vim ac efficaciam ad movendam voluntatem habere censentur affectus *Fuga*, quales præcipuè sunt *Timor* ex consideratione divinæ Justitiæ, ejusque rigore tot exemplis in Angelis & Hominibus, quin & ipso in DEI Filio demonstrato ortus: *Odiùm* & *detestatio* ex tot malorum, quæ per peccatum tam corpori, quàm animæ creari solent, cognitione concepta: *Contritio* ab amore purissimo DEI generari solita: *Fuga* seu *aversio* à peccato ex præcedentibus affectibus connaturaliter sequens, cum ipsa natura impellat, ut id, ex quo grandia mala nobis exorta fuisse intelligimus, toto virium conatu fugiamus. *Tristitia*, quæ ex præsentis mali, sive sibi ipsi, sive alteri dilectæ Personæ obvenientis gravitate perspecta oritur, & meritò laudabilis est, si ex bono motivo oriatur; nam, uti S. Paulus 2. Cor. 7. rectè pronuntiavit, *quæ secundum DEVM tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur.*

IV. Alterum caput hujus responsionis, *Imitationem*

videlicet, quod attinet, consistit illa in firmo proposito  
 sum aut Sanctos in aliqua virtute exercenda, vel vitio  
 endo imitandi: quem in finem oportet in primis Doctrinam  
 aliquam ex Punctorum, circa quæ Meditatio occupatur,  
 cussione eruere: deinde motivum ad illam servandam  
 trans considerare, nempe necessitatem, utilitatem, jucunditatem,  
 dignitatem, & æquitatem. In necessitate quidem  
 pendendo, quod eam doctrinam præcipiat DEUS, Regni  
 lumen naturale; quodque sine ejus observatione gravia  
 mala corporis & animæ incurrantur; è contrario verò  
 vel illud bonum absque talis doctrinæ executione obtinere  
 non queat. In utilitate considerari possunt commoda,  
 ex observatione ejusmodi sive corpori, sive animo, sive  
 bis ipsis, sive aliis etiam, puta DEO, Sanctis, defunctis,  
 ventibus, Amicis, Subditisve sequuntur tum in temporibus,  
 tum spiritualibus bonis. In jucunditate perpenditur  
 delectatio, quæ tum sibi, tum aliis iterum ex tali doctrina  
 observata, non modò in hac, sed altera etiam vita sequuntur.  
 In dignitate considerari potest, quod tam DEUS & Sancti  
 quàm Homines in terris existentes magni æstimantur, laudantur,  
 tui, & honorantur sint illum, qui talem doctrinam observant.  
 In æquitate denique perpendi potest, quod talis doctrinæ  
 servationem suadeat lumen naturale: exigant beneficia  
 cepta vel sperata: ipsi Gentiles suo exemplo docuerint: im  
 ti alij etiam ex Christianis minoribus longè motivis incit  
 ti, aut paucioribus auxilijs, modisve instructi prædicaver  
 rint.

V. His peractis doctrina hæc alijs applicatur, & quomodo  
 modo eam practicaverint, quosque fructus inde consecuti sunt  
 perpenditur; unde denique reflexio ad seipsum instituitur,  
 quæ ratione similem doctrinam hactenus observavit, aut  
 inceptis tot motivis incitantibus observare velit, dispicitur  
 in quibus medijs, quæ ad illius faciliorem observationem  
 cæteris efficacia esse videntur, inquiruntur, propositum  
 firmum concipitur, eadem deinceps studiosè adhibendi.

VI. Ex quibus omnibus facile nunc colligitur, peractis  
 lem esse eorum in meditando praxin, qui similem doctrinam  
 aut virtutem pro Scopo Meditationis habentes, totam suam  
 Meditationem in tria puncta dividunt. Et in primo quidem

in quo consistat talis virtus vel doctrina, & quomodo à Christo, & Sanctis, quà verbo, quà exemplo docta & commendata sit, considerant. In secundo rationes & motiva, ob quæ tanto studio & fervore talem virtutem aut doctrinam exercuerint, & ipsi quoque (nempe ij, qui meditantur) meritò eam exercere debeant, perpendunt. In tertio varia media inquirunt, quibus perfectionem talis virtutis assequi valeant, prout paulò antè dictum est. Qui quidem modus præferim in Festis Sanctorum utiliter adhiberi, & ad varias eorum virtutes, atque earundem imitationem applicari potest.

## QUÆSTIO IV.

*Quid super his cum DEO & Sanctis loquendum.*

I. Eviçtâ voluntatis repugantiâ, mens cum profunda humilitate ad Sanctos, B. Virginem, Christum, vel DEVM Patrem, prout affectus vel devotio, ac mysterij materia suggerit, erigitur, petendo veniam negligentiz, auxilium, & gratiam uberem pro propositorum executione, intermixtis varijs affectibus, de quibus in priori quæstione actum est. Quòd si in tertia quæstione voluntas per proposita motiva sufficienter adhuc mota non foret, nihilominus ad Colloquium progressus fieri posset, in quo coram DEO se humiliter, duritiam suam deploret, & acriter se objurget; sed & magis per affectus instet, uberiusque lumen ad commovendam efficaciter voluntatem petat.

II. Ut verò similium Colloquiorum formula aliqua habeatur, placet unum brevius, & alterum paulò longius subjicere, non quòd ejusmodi colloquia ijsdem verbis, aut affectus in eo contenti eodem ordine sint usurpandi, sed ut appareat, quinam præcipuè affectus, & quomodo sint eliciendi. Exemplum itaque ponamus in Sancto aliquo, v. g. S. Francisco Seraphico, qui humilitatis virtute singulariter excelluit, quem proinde in hac virtute omni studio imitari decreverit Exercitans. Hoc posito sic primum Colloquium ad hunc Sanctum institui posset. *O Sanctissime & Seraphice Pater Francisce, qui omnis quidem Virtutis sed humilitatis præcipuè tam præclara specimina & exempla reliquisti, per*

eamque tam sublimem Sanctitatis ac Gloriæ gradum  
 nuiſti, gratulor tibi de hac gloria & humilitate ex toto  
 de meo, optoquo, ut & ego, & omnes Homines non Verbo  
 taxat, ſed ipſo etiam opere tibi gratulari, atque adeo in  
 fundiſſima Humilitate quam proximè, perfectiſſimè  
 zari te valeamus. (En affectus gratulationis) Certe  
 negligenter adeo idipſum ego hætenus præſterim, &  
 hanc negligentiam DEVM meum ſuper omnia dilectum,  
 Te tantopere offenderim, erubeſco, & doleo ex corde (en  
 ctus contritionis) & propterea per amorem ejuſdem  
 mei, & glorioſam humilitatem tuam ſupplex oro te, & ſu  
 ſtor, ut & veniam negligentia talis ipſemet benigne con  
 das, & eandem etiam a clementiſſimo Domino & DEO  
 efficaciter impetrare digneris, (en actus obſecrationis)  
 eum efficaci gratia, quæ ſel deinceps hanc negligentiam  
 riò emendare, & in omni quidem Virtute, ſed humilitate  
 præcipuè quam perfectiſſimè imitari te poſſim; id ſanè  
 ardenſiſſimè deſidero (en affectus deſiderij) ita ſel ex  
 momento præſtare firmiter propono. (en actus propoſiti)  
 enim nihil me eſſe, nihil ſcire, nihil poſſe confiteor, & ſu  
 ſco, ideòque non ſolum omni contemptu & confuſione di  
 ſimum cenſeo, ſerùm etiam ab aliis contemni & deprimi  
 denter deſidero (en actus humilitatis) atque utinam  
 re poſſem, ut idem mecum omnes homines, præcipuè ſu  
 ſentirent, ſicq; per tam ardens humilitatis ſtudium & ex  
 citium DEVM meum & te perfectiſſimo modo glorificari  
 Eum certè in finem & ſuppliciter rogo, ut illi perinde  
 mihi Verum Humilitatis Spiritum impetrare digneris,  
 & nos tecum Veram animabus noſtris quietem in hac &  
 tera Vita invenire, & ſicut nos tecum humiliare ſtu  
 mus, ita exaltari quoque tecum mereamur, Deumque  
 omnibus beneficiis tibi & nobis collatis æternùm glorificari  
 & benedicere valeamus, Amen. (En Zeli & charitatis  
 ternæ actus) Brevius tale colloquium hoc modo inſi  
 poſſet: O quam gratulor tibi, o Seraphice Pater, tam  
 fundam humilitatem. O quam amplæ tibi gratias debeo.  
 Serò etiam ago pro tam præclaris hac in Virtute exemplis  
 licis! O utinam te in eadem perfectiſſimè imitari, atque  
 ad idem faciendum omnes homines incitare poſſem! O quam

doleo & erubescō, quòd tam negligenter hactenus id præstiterim ! O Sanctissime Pater, vel hac vice etiamnum veniam Superbia nostra, mihi, aliisque tam viventibus, quàm defunctis impetra, gratiamque, ut vel deinceps nos viventes hanc Virtutem perfecte addiscere, & exercere, sicque DEVM vobiscum magis glorificare possimus. Amen.

III. Quòd si verò lubeat ad Christum vel ipsum Patrem æternum in fine Meditationis longius colloquium ( uti omnino suadendum est ) instituere, id hæc ratione fieri posset.

O Amantissime Servator mi, JESU Christe, DEUS meus & omnia, gratulor tibi ex toto corde meo de omni perfectione & gloria tua, præcipuè ea, quæ tibi per Sanctum Ignatium ( aut alium Sanctum ) hactenus obtingit aut deinceps etiam obtinet, optòque unicè, ut hæc ipsa gloria tua Majora in dies incrementa accipiat, idque ipse etiam pro viribus procurare conabor.

Gratias dein tibi amplissimas ago pro omnibus inprimis beneficiis, gratis & favoribus Sanctissima tuæ Humanitati, & Matri beatissima, omnibusque aliis Sanctis, præcipuè S. Ignatio, & mihi denique indigno, aliisque tam defunctis, quàm viventibus tam liberaliter hucusque exhibitis, optòque iterum ex animo, ut non verbis dumtaxat, sed ipso etiam opere gratum exhibere me possim.

Eum certè in finem summa cum demissione, gratitudinèque offero divina Majestati tuæ omnia merita SS. Vitæ, Passionis, & Mortis tuæ omniumque Sanctorum tuorum, præcipuè S. Ignatii, rogòque suppliciter, ut hæc omnia tum in gratiarum actionem pro innumeris beneficiis mihi aliisque Hominibus exhibitis suscipere digneris, tum in satisfactionem pro infinitis peccatis meis, de quibus sanè omnibus uti vehementer doleo, eò quòd iisdem te DEVM & Servatorem summè bonum & amabilem tantopere offenderim, ita tam intensum dolorem elicere desidero, quàm ullus Homo unquam elicit, aut deinceps eliciet, &

pro-

propterea non meipsum solum ex animo despicio, sed ab aliis etiam despici dignissimum iudico, atque ut id ipsum ab omnibus Hominibus fiat, ardentem exopto.

Quia tamen hic ipse dolor & contemptus exigens nimis est, ideo in compensationem offero divina Majestati tuae omnem dolorem, quem ullus unquam Sanctorum præcipue S. Ignatius, de peccatis suis elicuit, rogoque, vel hoc placatus, & veniam culparum mearum omnium benigne concedas; & pœnam ipsidem debitam clementer remittas, & omnes eum in finem indulgentias, quas sperari possum, & conatus fuero, liberaliter largiaris, quemadmodum & ego vicissim amore tui ignosco omnibus, qui me unquam quacunque ratione offenderunt, præterque illis eandem gratiam, quam mihi exopto.

De reliquo firmissimè statuo, vitam meam sincerè commendare, tuoque Sanctissimo beneplacito penitus committere, ideoque vel nunc denuò renuntio omnibus peccatis & occasionibus peccandi, voveoque (Si Religiosus) paupertatem, castitatem & Obedientiam, cæteraque vota minora (si quæ præterea habet) cum sincerissimè affectu offero.

Protestor quoque me te Dominum ac DEUM meum toto corde dilecturum, atque adeò omnes cogitationes, verba, & opera singulari cum diligentia peracturum. Eum certè in finem vel nunc ea cum purissima amoris intentione ad tuum beneplacitum dirigo, & omnem quidem de ijs laudem, & gloriam tibi, cui soli debetur, præcipuissimè transcribo, omni juri, quod mihi ad meritum debetur, ex eodem amoris motivo ultro cedo, fructum vero impetratorium, & satisfactorium omnem animabus purgantibus, & ijs maxime, quarum redemptio ad maximum beneplacitum & gloriam cedit, eâ conditione transcribo, ut à pœnis suis liberata te Dominum nostrum per

fecerunt laudent, & pro beneficiis sibi & mihi exhibitis gratias dignius persolvant, & pro me denique ac Peccatoribus, aliisque mihi specialiter commendatis efficaciter intercedant, gratiamque impetrent, quâ vocationi nostræ perfectè satisfacere, vitamque nostram felici clausula terminare valeamus.

Ego certè, uti spem meam, fiduciamque totam in meritis tuis & auxiliis positam habeo, ita per eadem tua & Sanctorum tuorum merita supplex rogo, ut inprimis tuum & Sanctorum tuorum, præcipuè S. Ignatij honorem & gloriam magis ac magis in dies promovere digneris, deinde verò omnes tam viventes, quàm defunctos in SS. tua vulnera recipias, & defunctis quidem omnibus requiem & indulgentiam largiaris, vivis verò & mihi gratiam efficacem largiaris, quâ Sanctissimū beneplacitum tuum veraciter agnoscere, & perfectè adimplere valeamus, cui proinde me & mea omnia tam quoad vitam, quàm quoad mortem quocunque loco, modo, & tempore obeundam plenissimè resigno, id unum suppliciter rogans, ut quoniam ex me nihil sum, scio, & possum, tu sicut velle misericorditer concessisti, ita perficere quoque misericorditer largiaris; ex te enim sunt omnia, DEUS meus &  
omnia,

